SUMMA
THEOLOGIÆ CHRISTIANÆ.

AUTHORE



ROGERO BOYLE

Episcopo Clogherensi.

DUBLINII, Typis Regiis.

M. DC. LXXXI.


J.P.
Sc.

Præfatio

AD

LECTOREM.

NON hæc scribo Theologis, quibus comperta esse debent, sed Theologiæ studium aggredientibus; necessarium reputans, ut integram quisque artem teneat, in cujus ulla parte alios bene instituat. Sed ut necessaria sit Summa Theologiæ, tamen post tot Summas, Institutiones, Syntagmata, locos communes, &c. Quid opus est hac Summulâ? Dicam. Inprimis pigebat non haberi Corpus Theologiæ, quod Ecclesiæ Anglicanæ sit ex omni parte consonum, sed cogebamur Magistros foris accersere; unde Matri Ecclesiæ minus eramus benevoli, aliique aliis addictiores nobismet invicem infesti devenimus; & erat malorum ferax discordia.

Secundò, Non mihi contigit videre Corpus Theologiæ, in quo aut Philosophica à Theologicis, aut Judaica à Christianis, ritè secernerentur; unde contigit Ecclesiæ ut multoties vexaretur litibus de iis, quæ aut nihil attinent aut in Scholâ philosophicè peragi debuerant.

Tertiò, Plerique Theologici Scriptores sua dogmata cum Articulis Fidei Christianæ indiscriminatim, eodemque tenore discentibus obtrudunt, omnia pariter confirmantes Textibus sacris. Hinc, discentes cum se scientiâ Theologicâ completos putant, ferè non nisi inflantur opinionibus humanis; & capti alios decipiunt, iis omnia offerentes

tes ut Doctrinas Christianas quæ pro talibus ipsi acceperant.


Quartò, Ecclesia in multas partes diffracta est; jam moris est, ut quisque suæ partis Doctrinam pro vera edat; Doctrinam Ecclesiæ verè universalis quis exhibet?

Quintò, Alii aliam sibi regulam Fidei Christianæ assumunt, nullam (quantum mihi scire licuit) satis demonstratam.

His malis mederi volui; nec fuit inutile consilium; in eo verò exequendo quid perfecerim, tu Lector judicabis. Vale.



Summa Theologiæ Christianæ.



Heologia est Doctrina de Deo. De Deo autem alii aliter sentiunt & loquuntur. Mihi propositum est ob oculos Lectoris ponere Christianismum, *i. e.* sensa Christianorum de Deo. Hujus originem expendam & partes. Nec quidem ejus quidpiam in obscuro ei fore arbitror, qui hæc duo comperta habuerit, scilicet & unde ad nos devenerit hæc Doctrina, & quid præ se ferat.

Pars prima hujus summæ de Origine Theologiæ Christianæ.

CHristianis omnibus in ore est hanc Religionem esse cœlitus oriundam, veramque Divinæ Voluntatis revelationem exhibere. Id autem nostris & Infidelium cor[illegible] certum facere, *hic labor, hoc opus est.* Quod tamen cum Deo aggrediamur, variorum Authorum sententias & argumenta examinantes, donec eo pervenerimus, ubi sistendum videbitur.

SECT. I.

De credibilitate Religionis Christianæ ex Argumentis probabilibus.

1. NOnnulli videntur fidem ab opinione non secernere, resque Religionis materiam aiunt esse incapacem demonstrationum, inque ingenti probabilitate

quiescendum esse putant. Articulos quidem Doctrinæ Christianæ verissimos esse, non tamen demonstrationes afferre, nec cum infallibilitate suscipi, sed cum certitudine quadam inferioris gradus. Nec hæc inermes afferunt.

2. Nam primò aiunt, Aristoteles dicit demonstrationes non esse expectandas in moralibus. 2. Miles prælium init incertus victoriæ, Arator incertus messis facit sementem, &c. Si ergo religionem non suscipis nisi demonstratam, ei iniquior es quam aliis humanæ vitæ studiis. 3. Multa quotidie indubitanter admittimus sine demonstratione, ut Virgilium fuisse Authorem Æneidos, Homerum Iliados, &c. 4. Vulgus non est capax demonstrationum; num nec Religionis?

3. Verum his non esse cedendum puto. Nam 1. Nihil obnixius exigitur à Discipulis Christi, quam firma & ab omni dubitatione abhorrens Fides; qui autem firmam requirit Fidem sine argumento convincente, is effectum requirit sine causa.

4. Ultra hoc, exigitur ubique terrarum à Christianis obsequium, quod nisi firmissima fide fultum, non esset licitum, nempe mori pro Christo. Per naturam enim cuique incumbit vitam suam tueri; at vox naturæ est vox Dei. Non licet ergo vitam prodigere ad nutum hominis quem non certo scimus esse à Deo missum.

5. Addo, Nos aut firmam habere fidem aut nullam; nam fides est assensus, dubitare autem est assensum suspendere; ergo aut nullam habemus fidem de hoc vel illo, aut dubitationem omnem superavimus, *i. e.* certi sumus. Certitudo etiam non capit plus vel minus. Nam certitudo est πληροφορία seu plenitudo judicii; ergo ut pleno non est plenius, sic certo non est certius. Neque hic timenda sunt nomina demonstrationis & infallibilitatis. Quid enim est demonstratio, nisi argumentatio

con-

convincens seu certum faciens? Et qui est jure certus, est eatenus infallibilis. Unde autem homo sit certus & infallibilis disputatum suppono in Philosophia. Ad argumenta autem contra sentientium sic respondeo.

6. Mihi impræsentiarum non vacat Aristotelici Textus explicationi accommodandæ; nec testimonio me premi patior in opere, ubi nullius, nisi omnium simul Christianorum authoritate fulto mihimet procedendum est. Tantum consulat, rogo, Lector librum de Cive, in quo Author indubitanter asserit se nihil non demonstratum posuisse, uno dogmate excepto. Non est ergo novum demonstrationes in moralibus expetere. Quin ego existimaverim, inter omnes Philosophiæ partes moralem esse demonstrationum feracissimam, ut pote cujus subjectum, scilicet τοῦ ἔξω naturæ rationalis, sit nobis notissimus. Hic enim vera dicentes appellamus experientiam universalem, & tot habemus testes quot auditores.

7. Secundum argumentum dissimilia adfert pro similibus, *e.g.* præliari, quid est ultra periclitationem vitæ, quæ quandoque est necessaria etiam sine ulla probabilitate victoriæ? At suscipere Religionem est dare assensum mentis, quod adeo non est necessarium ut nec sit justum nec possibile sine argumento convincenti. Multi levibus argumentis convincuntur, sed convincuntur, antequam credunt.

8. Quod tertio loco adfertur levius est quam ut à me adhiberetur, nisi à viro docto & perquam ingenioso allatum fuisset. Sed ad rem. Multa quidem admittimus quotidie non demonstrata, verum hoc non est credere sed negligere. Nec in horum classe reponenda est Religio. Interea monitum Lectorem velim, multas ad nos venire demonstrationes sine pompa dialectica. Virgilium fuisse, *i.e.* temporibus Augusti, creditum fuisse

ſe authorem Æneidos , quis noſtrum poteſt ambigere? At niſi tenore traditionis convictus quis poſſet credere?

9. Poſtremo, Ignorantiam indoctorum ne nimis accuſemus. Sunt homines & licet indocti, rationis naturalis uſum habent; ergo quo clarior quæque eſt ratiocinatio, eo ejus capaciores ſunt indocti. At demonſtratio eſt ratiocinatio clariſſima; vulgus ergo eſt capacior demonſtrationum quam aliarum argumentationum. Vulgus quidem neſcit formare Syllogiſmos vocales, mentales efficit. Alterum quippe eſt opus artis, alterum naturæ rationalis, *i. e.* vulgus exercet facultatem ratiocinandi, at rationem ſuorum actuum aliis reddendi non eſt peritus. Sunt quidem illiterati, Ariſtotelis aut Euclidis perquam ſtupidi auditores, ſed hoc oritur ex ignorantia ſolummodo terminorum; ut patet ex illo Ciceronis. l. 1. Tuſ. q. In libro Platonis qui inſcribitur Menon, Puſionem quendam interrogat Socrates quædam Mathematica de dimenſione quadrati. Ad ea ſic ille reſpondit ut puer, gradatim tamen reſpondens eo pervenit quaſi Mathematica didiciſſet. Sed quid moror indoctos? capeſſant Chriſtianiſmum levibus argumentis; num ideo Chriſtianiſmus levibus tantum nititur argumentis? Religio fortaſſe ſubigat plebem tironibus, at Triariis opus habet ut aggrediatur prudentes, qui nolint decipi.

SECT.

SECT. II.

De vi Voluntatis in Fidem Christianorum.

1. CHristianismum aut non suscipiendum esse, aut esse firmissima fide tenendum, mihi videor conclusisse superiore sectione; proxime dispiciendum est, quo fundamento nitatur hec fides. Ac nonnulli quidem Christianam fidem voluntati acceptam referunt, perinde quasi credamus Evangelio quia amemus. Atque fateor ego quidem facile, *i.e.* levibus argumentis nos credere quæ volumus; ut vero justum demus assensum sine firmo (quoad nos) ad rationem argumento, id humani juris non esse puto. Qui enim aliquid esse credit ideo solum quia ipse illud esse velit, is voluntatem suam rerum esse dominam autumat; quod est insanire.

2. Sed, aiunt, non id volumus; quin amamus evangelium quia bonum est, & quod bonum idem & verum est, nam superne venit. Hic concedo falsam esse omnem religionem quæ impuritatis morum aut mater e aut nutrix. Concedo etiam religionem Christianam prohibere omne vitium, omnem imperare virtutem, adeo ut Christianismo universim suscepto, homines etiam in hoc mundo optime, *i.e.* felicissime viverent. Atque hinc sequitur, bonitate sua hominibus valde commendari Religionem Christianam. Si quis etiam non tam argumentis victus quam amore ejus bonitatis captus Christianismum capessit & colit, non dubium est quin hoc ei sufficiet coram Tribunali Christi, qui pollicitus est neminem qui ad ipsum venerit rejicere, & qui cum in terris ageret passim iis ut credentibus benefecit, qui vel minimam erga ip-

sum

ſum benevolentiam oſtenderint.

3. Poſtea vero multa perſuadent, ne ſic defendi patiar Religionem Chriſtianam. Inprimis, Philoſophia non minus proba exhibet præcepta, quam Religio Chriſtiana; ergo hactenus non fuit neceſſaria revelatio cœleſtis.

4. Dices, Præcipit quidem Philoſophia omnem virtutem; ſed Religio Chriſtiana ulterius ad obſequium cogit animos, propoſito præmio cœleſti. Reſpondeo, Philoſophiam videri quidem mancam magiſtram virtutis, quia præmium non proponit; præmium quoque à Religione Chriſtiana propoſitum, ut alliciat, certum eſſe debet; nam prudentes nolint decipi.

5. Iterum, Satanas poteſt induere angelum lucis, & nimia conſtat experientia poſſe homines bonorum morum oſtentationem peſſimis conſiliis prætexere.

6. Iterum, Nemini non videntur bona Præcepta Religionis ſuæ. Quid tum? dices. Tum inquam, defendis Religionem Chriſtianam non melius quam Mahometanam Turca.

7. Poſtremo, Quædam imperantur à Chriſto, quæ niſi credentibus non ſunt bona aut licita, ut mori pro Chriſto, *&c. Sect. i. n.* 4. Vide autem, qua vi concludas veritatem Evangelii ex bonitate Præceptorum ejus, cum præcipua ejus & peculiaria Præcepta non ſint bona, niſi præſuppoſita fide quod Evangelium ſit verum.

SECT. III.

De Cælesti lumine Scripturarnm sacrarum.

1. NOnnulli *cælestem quendam fulgorem verbo Dei scripto prædicant inesse, quo sibi sine alio medio assensum cogit, sic ut*, aiunt, *si casu Ethnicns offendat Biblia sacra, eaque attente legat, ea nôrit esse revera Verbum Dei.* Et hæc magnifice dici non inficior, sed quo argumento? Imo, respondeant, rogo, num *hunc Bibliorum sacrorum fulgorem* in stilo et charactere dicendi videant, vel in re dicta. Certe, in Scriptura sacra nihil est nisi verba & sententia. Sententia autem Evangelii seu res dicta abrenunciat *huic nativo lumini*, dum ubique prædicat *se esse revelationem consilii divini liberrimi.* Consilium certe liberum poterat non iniri, ergo ex natura ipsius consilii non liquet initum fuisse.

2. Nonnulli quidem contendunt *Deum omnia agere necessariò*; sed hos pari facilitate convinco. *Deus*, ais, *misit Filium in mundum, quia erat congruum Deo opus.* At unde nosti tu hanc congruitatem? Nemo cum ratione dicat, *Incarnationem verbi esse congruum Deo effectum*, nisi qui & Deum & Incarnationem perfecte intelligit, *i.e.* nisi qui duo incomprehensibilia comprehendit.

3. Sed fortasse *cælestis origo Bibliorum sacrorum ex eorum stilo seu phrasi apparet.* Non mihi quidem; nam video omnes Ecclesias sacræ Scripturæ versionibus uti, easque æstimare firmæ fidei creandæ sufficientes. In quibus tamen versionibus dictio & quicquid est extra sensum, ab hominibus est, nec ostendit aut probat Divinitatem.

4. Iterum ſingula vocabula in Scriptura ſacra ſunt commenta humana; alioqui enim ab hominibus non intelligerentur. Dictio etiam ſeu ſingulorum vocabulorum ſtructura eſt conformis regulis Grammaticæ & Rhetoricæ quæ ſunt artes humanæ. At quod poteſt præſtari viribus humanis, id præſentiam numinis non demonſtrat.

SECT. IV.

De Enthuſiaſmis.

1. ENthuſiaſtæ reddentes rationem Fidei Chriſtianæ nihil niſi Spiritum Sanctum prædicant: *Huc ipſi, hunc omnibus verè Chriſtianis unicum eſſe Doctrinæ Chriſtianæ Magiſtrum.* Ac ſi ſe ſolos ſic cœlitus ſpeciali gratia doceri dicerent, nihil morarer ego quidem ut iis crederet qui vellet. Hoc autem eſſe commune omnibus Chriſtianis, *i. e.* hunc eſſe modum quo Deus inſtituit Doctrinam Chriſtianam propagandam & capeſſendam eſſe, id vero pernegandum eſt, & hoc quidem argumento.

2. Deus non inſtituit eo nomine introducendam eſſe Religionem Chriſtianam quo nomine ab hominibus jure recuſari poſſit; ſed jure recuſarent homines Religionem Chriſtianam, ſi prædicaret ſe non poſſe à quoquam aut accipi aut ſervari niſi docente Spiritu Sancto; palam enim foret quod ſuſcepto Chriſtianiſmo ſolveretur regimen civile; at ſoluto regimine civili ſtatus hominum eſt miſer & exitialis, ergo & ipſe vitari debet, & omnia ipſum introducentia inque iis Religio Chriſtiana. Singulas partes hujus Proſyllogiſmi fuſe ob oculos legentis

poſui

posui in Inquisitione in fidem sec. nec eorum repetitioni immorabor.

SECT. V.

Sententia CALVINI.



1. FEre omnes Christiani fidem suam Scripturis sacris acceptam referunt. Scripturarum tamen sacrarum veritatem ex ipsis Scripturis non innotescere, ostensum est *Sect.* 3. Unde ergo cœlestem earum originem elucidatam habemus? Alii aliunde petunt. Calvinus asserit *solum Spiritus Sancti testimonium cordibus singulorum affusum præbere sufficientem confirmationem veritatis Scripturarum sacrarum.* Inst. l. 1. c. 7.

2. Hoc mihi non placet hisce de causis. Primo, Minus honorificum videtur Scripturis sacris, ut semper egeant nova de cœlo attestatione, quæ tamen non semper præstatur, nec unquam (nisi per externa miracula) ostendi potest. Tu credis Scripturas sacras esse Verbum Dei ob testimonium Spiritus Sancti cordi tuo præstitum, quod tamen nullo potes argumento patefacere. Hoc
homini non illuminato nihil sonat nisi: Credis quia cre- 10
dis. Iterum, tu ais Infideli: *Ego credo Evangelio, tu non credis. Causa discrepantiæ est quod tibi non concedatur Spiritus quo ego fruor.* Quod quid est, nisi suum privilegium jactare, Scripturas autem sacras omni vi exinanire? Vide jam an deceat, Scripturas sacras confirmationi subjicere quæ sit ob jactantiam odiosa, & ob invisibilitatem ridicula.

3. Secundo, Quibus sufficienter adhibetur hoc testimonium Spiritus, ii Scripturas sacras rejicere non possunt, sed volentes nolentes credunt. Nam argumen-

tum ſufficiens tum ſufficienter adhibetur, cum convincit; at convinci de aliquo dicto, eſt ei fidem habere. Quibus vero non ſufficienter præſtatur hoc teſtimoninm, ii Scripturas ſacras amplecti non poſſunt, utpote quibus, ex Hypotheſi, argumentum ſufficiens non exhibetur. Hinc autem (cum nemo teneatur ad impoſſibile) ſequitur neminem unquam rejiciendo Scripturas ſacras peccaſſe, quod adverſatur ſenſui totius Chriſtianitatis.

4. Poſtremo, Nihil reperio diſcriminis inter Calviniſmum in hac parte & Enthuſiaſmos; quod in preſentiarum ſatis eſt notaſſe, cum id latius proſequutus fuerim in Inquiſitione mea. *Sect.* 6.

SECT. VI.

De Pontifice & Eccleſia Romana.

1. COntendunt nonnulli *Eccleſiam Romanam eſſe fundamentum Fidei Chriſtianorum, nec ultra ejus ſententiam quicquam quærendum eſſe.* Si opponis, *Turcas Romanis plures eſſe, nec tamen Fidem mereri in tantæ molis cauſa*; Reſpondent, *Eccleſiam Romanam fulciri promiſſis Chriſti, & ope Spiritus Sancti eſſe infallibilem*, Ego vero regero, prius oſtendendum fuiſſe, quod Chriſtus fuit & quod fuit verax, & quod iſta promiſit. Nunc quid dicitur? Eccleſia Romana eſt infallibilis, quia Chriſtus promiſit eam gratia ſua ſuſtentare, & Chriſtus eſt verax, quia Eccleſia quæ eſt infallibilis, ita prædicat. Eſt hæc circuli obſervatio trita quidem, ſed quæ alias confutationes reddit non neceſſarias.

2. Unum offendi Anglice conſcriptum libellum (**The Statesmans Catechism**) in quo *Eccleſiæ Romanæ veritas*

veritas nititur miraculis quæ in ea quotidie eduntur. Ego vero concludo facilius mundo probari posse Religionem Christianam, quam quæ isti venditant miracula. Male autem ostenditur quicquam per obscurius. Inquis. Sect.

SECT. VII.

De Miraculis Christi & Apostolorum.

1. HActenus arenam Fidei Christianæ substratam vidimus, restat dispicienda probatio per Miracula Christi & Apostolorum, quæ petræ firmitatem pollicetur. Certe sic videtur, cum per Miracula Christianismus primitus mundo probatus fuerit, per eadem in omnia secula eum esse probandum; nec unquam deserenda esse illa arma, quæ mundo & inferno invitis, regnum Christi in tantam gloriæ molem evexerint.

2. Ac primum, id ratum habeo, Christianæ Religionis veritatem solis miraculis ostendi posse. Per miraculum designo effectum omnium causarum naturalium vires excedentem. Horum duo genera proponit Evangelium. Nonnulla objicit sensibus, ut curationes morborum, suscitationes mortuorum, Resurrectionem Christi, &c. Alia miracula Fidei tantum nostræ proponuntur, ut Incarnatio Verbi, Sessio Filii ad dextram Patris, remissio peccatorum, resurrectio carnis nostræ, &c. Jam, inquam, ratum habeo miracula ista invisibilia non esse capacia Fidei nostræ nisi vi miraculorum sensibilium. Miracula enim invisibilia seu credenda sunt opera supernaturalia, ergo non possunt colligi seu concludi ex ullo opere naturali; nam quod sequitur ex naturali est

natu-

naturale; ergo supernaturalia seu miracula ex solis supernaturalibus ostendi possunt.

Obj. *An non probamus existentiam Dei quæ est supernaturalis ex existentia creaturarum naturalium?* Respondeo, non probamus esse Deum, quia est creatura naturalis, *i. e.* procedens è causis naturalibus; sed cum omnia non possint procedere ex causis naturalibus concludimus aliquid creatum fuisse, & ex miraculo Creationis concludimus existentiam Dei.

3. Secundo loco affirmo, quodvis dictum per miracula sufficienter probari. Nam miraculum à solo Deo edi potest, ergo est Testimonium divinum, assensumque nostrum vendicat cuicunque dicto affertur probando. Nam ut ait Cartesius, *Licet videatur esse potentiæ cujusdem alios fallere, tamen bonitatis non est.* Disputatur, quod Deus possit creaturam rationalem aliquo modo in errorem inducere. De quo suo loco, impræsentiarum sufficit dicere, quod nobis non erit fraudi à Deo Optimo Maximo falli.

4. Periculosius objicitur, *Fucos & præstigias à veris miraculis difficulter internosci.* Sed respondeo, ut de aliis rebus, sic de miraculis judicandum est, per sensus scilicet & rationem, quibus, ut alibi ostensum suppono, non potest imponi nisi culpa decepti. Itaque ubi his satisfit, homini satisfit, nisi hominem velis ultra suas facultates sapere.

5. Instant, *Quod uni miraculum videtur, id alteri aut naturæ effectum aut fortasse vanum ac frivolum videri:* Quid tum? *Tum*, dicunt, *subsistere debemus & à judicando obstinere:* At, inquam, unusquisque tenetur suam rationem sequi non alienam. *Sed*, dicunt, *cum tot falsa se ostentent miracula, sapientis erit omnibus diffidere ne in hallucinationem incidat.* Certe, inquam, caute agendum est; si quid vero juste, considerantibus liquido

do miraculum est, non opus est nostræ ei non assentiri. *At nobis*, inquiunt, *satis est, naturam ducem sequi, cnm Deus non exigat ultra id quod in nobis est. Quæ supra nos, nihil ad nos*: Respondeo: Expectare miracula inepti est, & sorte sua non contenti; oblatis autem non attendere sine peccato non possumus. Nam ut effectus in genere proclamat causam, sic effectus supernaturales Dei sunt de Cœlo voces. Miraculis ergo oblatis non attendere est obturare aures Deo loquente, & hoc non est facere quod in nobis est.

6. Demum objicitur *Non posse nobis liquere, hoc vel illud vere miraculum esse., quia cognitio nostra ad fundum naturæ non penetravit: Quî enim noverimus hoc effectnm esse snpra facultatem naturæ, dum quid natura possit non calleamus?* Respondeo, Neminem unquam Medicorum minutissimæ herbæ vires omnes percepisse; vulgo tamen effecta novimus totius herbarum generis vim excedentia, ut sensationem, intellectionem, &c. Sic, ignoramus multa quæ à natura fieri possunt & fiunt, aliqua tamen certo scimus ab ea fieri non posse, ut agere immediate in distans, solo imperio effectus reales producere. Quin omnes Philosophi naturam secundum certas leges operari statuunt; ergo per eos si quis operatur aliter quam per has leges, is facit miraculum.

7. Hæc posueram, & allatus mihi est liber, cui Titulus, *Tractatus Theologico politicus*; Nescio cujus Authoris pus atque venenum. Sed hujus obloquiis ipsi relictis, Positiones ejus de miraculis & Argumenta perpendamus. Is *cap.* 6. ponit. *Miraculum*, i. e. *factum aut contra naturam, aut præter naturam, aut non sequens ex natura esse merum absurdum.* Quod sic probat: *Natura necessariò fluit ex essentia divina*: Ergo *quod repugnat naturæ, repugnat essentiæ divinæ.* Sic probat antecedens: *Natura fluit ex voluntate divina, ergo necessariò.*

Hanc

Hanc consequentiam sic probat: *In Deo intellectus & voluntas, intelligere & velle idem sunt; sed intellectio est necessaria perfectioni divinæ, ergo & volitio est necessaria.*

8. Hoc unico Argumento probat Tractator positionem suam, in quo certe ego nihil video dignum tanto hiatu. Inprimis nego sequi necessitatem volitionis divinæ ex identitate ejus cum intellectione divina; nam unumquodque quo est perfectius eo virtutem habet minore cum mole, ut entis infiniti prærogativa sit, in omnimoda simplicitate perfectionem omnium entium etiam quantum vis oppositorum continere. Continet, ergo, Deus in una simplicissima entitate & necessariam cognitionem & volitionem liberrimam; quod fuse disputatum suppono in Metaphysica ubi agitur de Natura Dei. Quod si hoc durum videtur, meminerimus non solum debere Deum esse incomprehensibilem, sed etiam multa in creaturis certe nondum comprehensa esse. De multis, inquam, in iis quæ sensibus obversantur, certi sumus quod sint, non possumus tamen intelligere, quomodo aut sint aut possint esse *e.g.* certum est continuum componi, at impossibile videtur ut componatur aut ex indivisibilibus, aut ex semper divisibilibus, inter quæ tamen non est medium in quantitate. Ut ridicula sit arrogantia omnia essentiæ divinæ denegare quæ hebetudinem nostram superant.

9. Deinceps, Nego ex necessitate volitionis divinæ sequi absurditatem miraculi. Esto, pendente lite, quod Mundus creatus fuerit ex necessitate essentiæ divinæ, quod fluxerit ab essentia divina ut radii à Sole, sic ut eum potius natum diceres quam factum, ut inquit Albinus *Dial. 3.* Non hinc sequitur exhaustam fuisse in natura producenda omnipotentiam. Poterat natura sic procedere à Deo, possunt præterea sic procedere miracula

cula. In abyſſo omni potentiæ ſatis eſt utriſque. Fateor quidem in hac ſuppoſitione neceſſitatis, nihil poſſe evenire contra ordinem naturæ, nam idem repugnaret eſſentiæ divinæ.

10. Sed nec eſt miraculum contra naturam, at prorſus præter eam. Si cauſæ ſecundæ aliquid agerent non ſecundum leges naturæ, jam illud monſtrum eſſet & non admittendum; Deum vero non aſtringi legibus naturæ quomodo hoc naturæ repugnat? *Sed*, ait Tractator, *miracula fiunt in natura.* Quid ſi fierent in natura, cum non fiant à natura? Sed miracula non fiunt in natura, ſed fiunt in mundo cujus natura eſt una pars miraculum altera. Omnia hæc putat ſe occupaſſe Tractator dicendo, *potentiam naturæ æquè latam eſſe cum potentia divina, eſſe eandem cum potentia divina; unde ſequitur nihil poſſe produci præter naturam.* Ecce aſſumptum antecedens contra omnes Chriſtianos ſine umbra probationis, quo quid magis ἀφιλόσοφον? *At nullam adducit probationem*? Certe non invenio. Solum miſereſcit naturæ, ſi ejus leges ſint minores potentia divina. Tum Deo ipſi videtur timere, ſi neceſſe habeat ad miraculum confugere ut voti compos fiat. Tum concludit ſe exiſtimare hoc à ratione alieniſſimum eſſe. Quæ omnia nihil ſignificant, niſi quod hic author deperit hypotheſin ſuam. Sed non omnibus hic eſt ſenſus. Non illepide autem monemur in margine, quod hic author *per naturam intelligit non ſolùm materiam ejuſque affectiones, ſed infinita alia.* Infinita alia? Quid hoc eſt niſi ludere? Quis hinc ſciat quid ille velit per naturam? Ego per naturam hic intelligo omnes cauſas corporeas, & per naturalia harum effectus. Quid per miraculum? Effectum omnipotentiæ præter naturam.

11. Secunda Tractatoris Poſitio eſt: *Nos ex miraculis nec eſſentiam, nec exiſtentiam, adeoque nec providentiam*

Dei posse cognoscere, sed hæc omnia longè meliùs percipi ex fixo & immutabili naturæ ordine. Quis sic comparat? *Non ex miraculis, sed multò meliùs ex natura.* Quæso, τὸ non quotuplex est, τὸ multo melius? Sed ad rem. *Si sumis*, inquit, *miraculum pro effecto contra naturam, adeo non probabit existentiam Dei, ut scientiam omnem labefactaverit; nam si potest esse variatio in natura, tum potest esse in notionibus nostris naturalibus ex quibus judicamus; & si hoc potest esse, suspicabimur quòd est, & sic de nulla re certi erimus.* Respondeo, Miraculum non est contra naturam, ut dictum est; potest etiam variatio esse in mundo, sed non in natura, cujus leges sunt effata Dei, atque adeo immutabiles. Reddam explanatius. Est natura gravium descendere, at lapides projectos videas aliquandiu ferri sursum. Imo, dices, lex est naturæ quod debilius cedat fortiori. Per eam, dico, legem cedat Deo natura. Non est contra naturam lapidis ascendere vi impulsus externi, ergo non erat contra naturam ignis non consumere tres pueros in candente fornace, omnipotentia scilicet se interponente.

12. Sic iterum probat Tractator Positionem suam. Unumquodque probatur per id quod est evidens; at miraculum captum humanum superat, quia per causam naturalem explicari non potest. *Resp.* Hic Author semper assumit quod erat probandum. Miraculum fateor, nec potest explicari per causam naturalem, at bene per supernaturalem nimirum voluntatem Omnipotentis; itaque etiam miraculum non excedit captum humanum.

13. Tertio sic arguit: *Miraculum est opus limitatum, ergò non potest probare existentiam aut potentiam infinitam. Resp.* Effectum per miraculum existens in mundo est opus limitatum, sed miraculosa ejus effectio est

super

ſuper omnes regulas naturæ. Miraculum ergo eſt concretum ex opere & operatione, & jure operationis eſt illimitatum, atque adeo potentiam arguens illimitatam.

14. Demum, Hic Author videtur poſſe redargui ex dictis ſuis. *Natura*, inquit, *fluit ex eſſentia divina*; ergo inquam, non ſequitur ex natura. Iterum ait ille quiquid non ſequitur ex natura eſt abſurdum. At regero, natura per te non ſequitur ex natura; num ergo eſt abſurda & impoſſibilis? Sed hoc miſſo.

15. Tertio loco affirmo veritatem Chriſtianæ Religionis evidenter oſtendi per miracula quæ in Novo Teſtamento à Chriſto & Apoſtolis ejus memorantur edita, ſiquidem ea ſic edita fuere ut ibi perhibetur. Ecce enim morbi identidem verbo curati, verbo ejecta Dæmonia, verbo ſuſcitati mortui, &c. Fortaſſe, dices, hæc non ſunt effecta authoritate loquentis, ſed occulto Angelorum miniſterio. *Reſp.* Quicquid fit in mundo corporeo, per Spiritus id in probatione habet vim miraculi, quia Spiritus non poſſunt rebus noſtris ſe interferere niſi Deo volente; alioqui enim Deus nos decipiendos traderet. Reſtat ergo inquirendum quomodo miracula Chriſti & Apoſtolorum ad nos longævi Chriſtianiſmi ſobolem tam certo devenerint, ut de iis ſine erroris metu judicium feramus. Atque hoc miniſterio Traditionis univerſalis perfectum fuiſſe contendo. Sit ergo p. 15.

SECT. VIII.

De natura Traditionis humanæ in genere.

1. TRaditio (ut hic quidem est usui) *est per alios ad nos delatio alicujus facti cui adesse nobismet non contigit.* Natura enim hominem oculis munivit ad præsentia capessenda, & ut absentia capesseret, auribus. Est autem scriptio artificialis quædam locutio, & lectio auditio artificialis.

2. Itaque omnis deferens vel narratione tradens præsens erat, *i. e.* dicit se præsentem fuisse illi facto quod narrat. Nam ideo tantum auditor opus habet narratore quia ipse non aderat. Dices: *Petrus narrat Joanni factum cui ipse non interfuit, sed à Paulo accepit.* Ergo, inquam, Petrus non dicit illud factum fuisse, sed se audivisse ex Paulo quod factum fuerit. Hinc *Hobbeus in Lev.* dicit (puto non sine malitia) quod inter Christianos, posteriores Martyres non erant Martyres Christi sed Martyres Martyrum:

3. Hinc observa objectum omnis Traditionis esse compositum ex facto quod dicitur contigisse, & modo quo pervenerit ad cognitionem narrantis. Ut si Petrus dicat se vidisse Paulum in foro; Paulus visus à Petro in foro est integrum objectum narrationis, cujus materiale est existentia Pauli in foro, formale est visio Petri. Si Petrus dicat se audivisse ex Joanne, quod viderat Paulum in foro; quod Joannes viderit Paulum in foro, est materiale narrationis; quod Petrus audiverit hoc ex Joanne, est formale.

4. Observa iterum, absentiam posse contingere intervallo vel temporis vel loci. Intervallo temgoris si

pater

pater ſenex narret filio, quod ipſe juvenis viderat. Intervallo loci; ut ſi Europam nunquam egreſſo narretur quid factum ſit nuper apud Perſas. Verum, eadem eſt ratio certitudinis & incertitudinis utriuſque hujusmodi Traditionibus, atque adeo una erit utriuſq; Tractatio.

5. Obſerva iterum, Traditionem eſſe ſimplicem vel multiplicem. Traditio ſimplex eſt quæ ſiſtit in uno narrante; ut cum quis ait ſe vidiſſe vel audiviſſe. Traditio multiplex ſeu plurium ordinum eſt, quæ per multos deinceps Authores pervehitur; ut cum quis dicit ſe audiviſſe hoc ex alio qui illud viderit, aut fortaſſe qui dixerit ſe ex alio audiviſſe, & ſic ſurſum ad Authorem facto præſentem.

6. Atque hinc conſtat in Traditione multiplici veritatem noviſſimæ Traditionis pendere ex veritate ſingularum Traditionum antegreſſarum, ſic ut una quavis fallente tota Traditionum catena diſrumpatur. Et

7. Quo diutius durant hæ Traditiones, tanto onuſtius eſt noviſſime tradentis Teſtimonium. *e.g.* Narret quid Petrus Paulo, idem narret Paulus Joanni, Joannes idem Thomæ. Hic Petrus dicit ſe vidiſſe, Paulus dicit ſe audiviſſe ex Petro qui dixit ſe vidiſſe, Joanni vero incumbit dicere ſe audiviſſe ex Paulo, qui dixit ſe audiviſſe ex Petro qui dixit ſe vidiſſe.

8. Interea: advertendum eſt, hanc multiplicationem aſſeverationum in Teſtimonio noviſſime tradentis nihil prorſus derogare veritati ejuſdem Teſtimonii. Nam in Teſtimonio ferendo non requiritur ut teſtis omnia meminerit, ſed ſolum ut nihil dicat niſi quod meminerit; & ſi dicit ſe trium meminiſſe, tam eſt credendus de tribus quam eſſet de uno tantum.

9. Demum, Conſtat in multiplici Traditione examinanda incipiendum eſſe ab immediate ſeu noviſſime tradente;

dente; nam per eum ſolum cæterorum Teſtimonia nobis innoteſcunt. Et hæc ſufficiat poſuiſſe de Traditione humana in genere.

SECT. IX.

De natura & vi Traditionis univerſalis.

1. TRaditio univerſalis eſt *narratio præ ſe ferens authoritatem omnium hominum.* Non quod adhiberi poſſint omnes omnino homines in unum, ſed ſi tantus hominum numerus præſto ſit ut nulla poſſit ſubire ſuſpicio mendacii, jure dicitur traditio univerſalis, quia ſatis teſtium eſt inſtar omnium homnium. Quam plurimi dicunt, nemo niſi forte inſanus contradicit; ſi omnibus hominibus habenda eſt fides, tum et his. Nam ubi nemo niſi inſanus contradicit ibi nemo niſi inſanus ob hanc quidem contradictionem dubitat.

2. In quo autem ſita eſt vis teſtimonii omnium hominum ſeu traditionis univerſalis? Non pauca ſuper hoc themate adhibui in Inquiſitione; nunc ſummatim dico: ſi teſtes quam plurimi ita ſe habent ut nec decipi poſſint nec in mendacio conformando conſpirare, eorum, dico, teſtimonium eſt infallibiliter verum. Ponatur quippe falſum ei ponetur effectus ſine cauſa. In hac enim traditione, fictio naſci non poteſt ex conſilio teſtium nec ex caſu, ob nimium teſtium locis et ſtudiis diſſitorum multitudinem; nec ex Deo qui bonus eſt atque adeo non fallax; nec ex diabolo quia nihil ei nobiſcum niſi quatenus eſt ei cælitus conceſſum; nec ex aſtris aliave cauſa cogente, nam hoc affigeret mendacium Deo mundi gubernatori. At ſi in traditione univerſali fictio eſt impoſſibilis, tum in ea veracitas eſt neceſſaria.

3. Poſſe

3. Posse autem esse testem humanum qui nequeat decipi, sic cogo. Qui clare & distincte audit videtve, non potest eatenus decipi; potest autem homo aliquid clare & distincte videre audireque; nam frustra his facultatibus muniti nasceremur, si uti iis nisi cum formidine erroris non liceret. Hic repugnare est convitiari naturæ nostræ opifici. Posse nos etiam esse securos de aliis quod non sint decepti, clare mihi videor ostendisse in *Inquis. Sec.* 3. *n.* 8. Ex omnibus apparet, hanc esse vim traditionis universalis, quod de quibusdam factis valde multi nec decipi possunt nec decipere.

4. Iterum, provoco ad universalem experientiam. Tu Dublinii multum et diu versatus at Hibernia nunquam egressus, potesne dubitare an sit Londinum? an Parisii? Hæc tamen habes ex traditione tantum humana. Si vero traditio tollit facultatem dubitandi, tum assentiendi affert necessitatem. Et si vel semel te fateris convictum testimonio hominum, millies convinceris.

5. Ex his autem sequitur, quod ubi ad testimonium universale appellatur, ibi id unum ambigenti superest ut universalitas testimonii trutinetur *i. e.* ut examinetur an tot sint testes et ita se habeant ut & deceptio & conspiratio sit impossibilis. Sed *qua regula dejudicandum est de sufficientia testium humanorum?* Respondeo, hoc unicuique relinquitur judicandum per rationem suam. Ubi debita usus quis diligentia desinit dubitare, ibi sat est magna testium & virtus & moles.

6. Hic suggeritur, non nullos, ita leves esse, ut cuivis fere dicto fidem habeant. Respondeo, nimia facilitas non est vitium humanæ naturæ sed personarum; at rationi assentiri est jus naturæ; licet ergo multi temere assentiantur nemo tamen cujus rationi satisfit, disentire potest, cum ratio unicuique detur ut sit ei regula vitæ.

7. At-

7. Atque adhuc quidem egimus de traditione univerſali ſimplici ſeu ſingulari; reſtat ob oculos ponere traditionem univerſalem complexam ſeu plurium ordinum, *quâ unum quidpiam per plures ætates de manu in manum pervehitur*. Atque hic adverte 1. hanc traditionem per plures ætates non ſatis commode à me explicatam fuiſſe in Inquiſitione, dum dicerem integrum preſens ſeculum narrationem hanc vel illam accepiſſe a ſeculo integro immediate antegreſſo. Nam a ſolis præſentibus fas eſt quippiam accipere. Hoc volo: præſens ſeculum dividendum eſt in duas partes, quarum una tradit, altra accipit.

8. Ut autem res quam Explicatiſſima ſit, partiamur præſens ſeculum in tres gradus hominum. Eſto gradus infimus eorum qui jam docentur, quique nondum egerunt annum 24*um*. Medius gradus deſinat in quadragenariis. Ultimus erit eorum qui quinquaginta habent annos vel ultra. Sic ut in traditione univerſali $\frac{2}{3}$ hominum tradant, & $\frac{1}{3}$ recipiat hiſtoriam. Partitio autem facta præſentis ſeculi fieri potuit in quovis ſeculo per quod Traditio duravit; quandoquidem omne ſeculum præteritum fuerit aliquando præſens.

9. Iterum, Quacunque in materia opus fuerit Traditionem univerſalem quæ per multa ſecula duravit, expedire (ad vitandam confuſionem è frequenti eorundem Vocabulorum repetitione menti oborituram) potes deſignare gradum infimum hominum ſeu diſcentium tantum per literam A, gradum medium per literam B, gradum ſummum præſentis ſeculi per literam C, gradum illum qui noviſſime exiit per literam D, eum qui immediate anteceſſerat per literam E, & ſic ſurſum.

10. Jam vix neceſſe eſt monere quod A non poſſit decipi à B & C, cum ſit oſtenſum, Traditionem univerſalem eſſe infallibilem, totaque vis Traditionis univerſalis ſit

ſit in B & C. Ulterius vero dico, non eſſe poſſibile ut vel B vel C ſit mendax teſtis. Nam B & C ſunt quaſi paris roboris, ergo ſi B poteſt fallere, tum & C poteſt fallere, ac ſi alterutrum tum & utrumque; & ſic rueret tota vis Traditionis Univerſalis.

11. Iterum, Meminerimus in Traditione Univerſali omnes omnino homines à quoquam conſuli nec poſſibile eſſe nec neceſſarium. Meminerimus etiam, vim Traditionis Univerſalis ſitam eſſe in multitudine teſtantium ita ſe habentium, ut nec falli nec in mendacio conformando conſpirare poſſint. Meminerimus etiam in longæva Traditione veritatem noviſſimæ Traditionis pendere ex veritate ſingularum Traditionum antegreſſarum. Atque hinc ſequitur, in Traditione Univerſali quæ per multa ſecula duravit, duo ſemper tradi, nimirum id quod principio geſtum fuiſſe dicitur, & adhuc indubitatum numerum teſtantium. Ut B non ſolum dicit ſe accepiſſe hoc à C & D, ſed adjungit & C & D tanto numero fuiſſe, ut à neutro formari mendacium poſſit, C teſtatur idem de D & E. Adhuc B non ſolum dicit ſe hoc accepiſſe à C & D qui fallere non potuere, ſed etiam quod C & D dixerint ſe idem accepiſſe à ſuis Superioribus pariter infallibilibus, & qui idem teſtabantur de ſuis Superieribus, & ſic ad ſummum ſcalæ.

12. Itaque in quantumvis longa Traditionum ſerie ſi noviſſima Traditio eſt ritè univerſalis, antegreſſæ omnes fuere univerſales; nam noviſſima confirmat penultimam, & fuiſſe univerſalem, & confirmaſſe antepenultimam parem fuiſſe, idemque confirmaſſe de ipſam præcedente, &c.

13. Novi qui totam hanc Traditionum certitudinem derideant, & fortaſſe quidem iis facilius erit in totam rem jocari, quam ullam partem demonſtrationis poſitæ ſerio infirmare. Ego de multis rebus nos eſſe ex

mera Traditione certissimos comperi; hujus ergo vim sequens vestigia naturæ inquisivi, & ut mihi videor, comperi & quod satis sit explicatum posui. Restaret inquirendum quo pacto ab uno homine cæterorum omnium Testimonia possint colligi, nisi id jam satis expeditum esset *Sect.* 11. *Inquisitionis*; pergo itaque ad explicandum.

SECT. X.

Quæ sit vis Traditionis Universalis in veritate Religionis Christianæ ostendendâ.

1. INprimis constat B affirmare quod acceperit Evangelium tanquam verissimum à C & D affirmantibus se idem accepisse à suis Superioribus, *&c.* C quoque affirmat se idem eodem tenore accepisse à D & E, *&c.* secundum formam Traditionis Universalis superiori capite explicatam. Testimonium B & C non potest esse mendax per *n.* 1, 2, *&* 3 *Sectionis nonæ.* Nullibi enim potest major esse Universalitas testandi. Christiani certe in multis Religionem suam attingentibus Dogmatibus discordes sunt, sibique invicem nimium infensi; in hoc autem Unanimes sunt, Religionem Christianam sibi Traditam fuisse tanquam sine dubio veram. Ipsi Turcæ agnoscunt hanc esse & semper fuisse Universalem Christianorum Professionem. Porro, si mendacium impossibile est in præsenti Traditione, tum & in præteritis impossibile fuit per *n.* 12. *Sectionis nonæ.*

2. Dices, *Quòd Historia Christi & ejus Doctrina semper fuerit apud Christianos sacra, nemo in litem traxerit: Sed, num hæc vera sunt quoniam ea vera esse putârunt Chri-*

Christiani? aut se putare professi sunt? Saltem, inquam, hinc habeo hæc nascentis Christianismi Phænomena. Ingens Christianorum numerus non solum in Christum credidere, sed etiam pro eo passi sunt, ergo Testimonio & Christianorum & Christianismi persecutorum erat in ea ætate Christus & crucifigebatur, & eum resurrexisse prædicabant discipuli ejus, &c. prout in appendice ad Inquisitionem.

3. *His*, dices, *admissis quid sequitur?* Dico hinc multis argumentis patefieri veritatem Religionis Christianæ quæ visere liceat in compluribus Authoribus, qui tamen, puto, omnes supponunt aut postulant eas præmissas quas ego maxime necessarium duxi cogere, ostendendo firmitatem Traditionis qua ad nos delatæ sunt. His & iis quæ ubique Authorum & veterum & recentium in veritate Christianæ Religionis tuenda adhibentur, ego lineas tantum seu Σκιάσμα istius demonstrationis apponam, quâ usus sum in Appendice.

Primo, Omnis Religio veris miraculis confirmata est vera per *Sect.* 7. *n.* 3.

Secundo, Curatio Morborum, suscitatio Mortuorum, &c. solo imperio effecta & maxime resurrectio Domini è mortuis sunt vere miracula: Per *Sect.* 7. *n.* 15.

Tertio, Ista opera à Christo & ejus Discipulis sic emanasse, habeo ex Testimonio primorum Christianorum qui nec decepti erant nec deceptores, ut ostensum est in dicta Appendice.

Quarto, Primos Christianos dictum Testimonium sic præstitisse habeo ex Testimonio omnium hominum qui fuerunt ab isto tempore quique sunt, & annos habent viginti quatuor per *n.* 1. & 2. hujus Sectionis.

Religio ergo Christiana probatur solis miraculis. Veritas autem miraculorum dijudicabatur à primis Christianis

ſtianis (ut alia) per ſenſus ſuos & rationem ſuam. *Quomodo autem eorum veritas patebit nobis tam longinquis?* Per Traditionem univerſalem quorundam Phænomenωn, ex quibus primos Chriſtianos nec deceptos fuiſſe nec deceptores firmiſſimis ratiociniis concludimus. Obſervandum enim eſt, multa quæ nos tenemus fide tantum, fuiſſe evidentia ſenſibus Apoſtolorum; ut ſunt infinita Chriſti Opera miraculoſa, ejus Reſurrectio & Aſcenſio. Ob hæc viſa illi crediderunt omnibus Chriſti dictis. Nobis ea non contigit videre, ſed ob eadem ex univerſali hominum ore audita atque adeo credita, omnibus dictis Chriſti credimus.

SECT. II.

Corollaria quædam ad Doctrinam ſupra traditam.

Cœleſti Chriſtianæ Religionis origine ſic (pro meo Modulo) oſtenſa, non inutile videtur unum aut alterum adnotare, quæ ex modo & genio ipſius oſtenſionis ſequi videntur.

1. Intelligimus quomodo Fides Chriſtiana ſit *ex auditu*, ſcilicet ut ex antecedente neceſſario, quatenus tradita à ſuperioribus auditu accipimus.

2. *Vulgus autem putat, ſibi Fidem ingeneratum iri frequenter audiendo Conciones Eccleſiaſticas.* Conciones quidem iſtæ ſerviunt populo in Articulis Fidei inſtituendo, nec non ad πρᾶξιν Chriſtianam excitando, non autem earum milleſima quæque veritatis Religionis Chriſtianæ oſtenſionem aggreditur; nec fortaſſe id frequenter fieri commodum eſſet.

3. Sed ſcilicet *dum audiunt, infuſionem Fidei expectant.* 1. Quo textu Scripturæ freti hanc ſpem alunt?

2. An

2. An non hoc est nosmet ipsos disponere ad gratiam? Quod illis quam est Papisticum! 3. Hæc infusio erit miraculum, & quo titulo miraculum expectas? Vide etiam, an nova miracula expectare non sit derogare veteribus, tanquam aut non sufficientibus aut non sufficienter ad nos delatis. 4. Quod non est ex fide est peccatum, peccatum ergo est hæc auditio quæ antecedit fidem; & quis putet peccatum esse aptum medium ad acquirendum Fidem Christianam? Sed apage ineptias. Si amas Evangelium ejusque veritatem tibi confirmatam cupis; Speculare miracula per quæ mundo primitus commendabatur, tum authoritatem testium per quos illa miracula nobis tradita sunt, perpende. Si in neutro horum quicquam infirmi repereris, tibi facta est fides; adde obedientiam & perfectus es Christianus.

4. Sed *vulgus & literarum rudes? Num hi quoque dijudicationi Miraculorum & Traditionis examinationi pares sunt? Resp.* In miraculis dijudicandis simpliciores videntur fallaciis non parum obnoxii; quod quid est nisi, eruditionem esse magno hominibus emolumento? Memorantur vero quædam in Evangelio miracula, in quibus hebetissimus quivis oculus digitum Dei conspicere valeat; qualis fuit multiplicatio panum, suscitatio Lazari post quatriduum mortis, Resurrectio Domini, *&c.* Ad hæc, semper meminerimus, Deum neminem esse rejecturum qui quantumvis levi argumento veritatem amplectitur. Tamen, ut antea monui, non putandum est quod Deus veritatem Christianam levibus tantum argumentis humano generi commendaverit. Christus se videndum & tractandum suis præbuit, licet eos etiam beatos declaraverit, qui non videntes crediderant. Quod vero attinet ad Traditionem universalem, ejus roboris aio indoctos non minus quam doctos esse capaces; nisi putes hominibus qui omnes annos in

Hibernia egerint, opus esse artibus & eruditione ut possint credere Londinum esse vel Romam. Nec id obest, quod Idiotæ rationem Fidei suæ non tam explicatè reddant, quam doctis in promptu est facere. Nam reddere rationem Fidei est artis, cum ad alios instituendos tendat; at Fidem habere est actus Naturæ rationalis quæ etiam rudibus non novercatur.

5. Hic etiam jure disquiritur *in quo differant Traditiones per quas derivantur Gentilismus, Mahometanismus*, &c. *ab hac quæ nostram Religionem pervehit*. Respondeo ex dictis, in hoc esse vim Traditionis nostratis quòd ortus ejus ab iis fuerit qui nec potuerunt falli nec fallere. Mahometes *e.g.* inepta quædam miracula edidisse fertur. Sed vel ista quis vidit? Nihil traditur quod probet primos ejus Discipulos non fuisse deceptos; fuisse verò deceptores, multa sunt quæ insimulent. Nam fœditate commenti sui libidinosos populos irretiendo, & voluptatibus & opibus & imperio sese muniêrunt. Pariter fari licet de Lycurgo, de Numâ, de Apollonio Tyanæo, *&c.*

6. Demum ex dictis habetur certissima regula Fidei Christianæ. Nam quæcunque doctrina pervenit ad nos ut Christiana per Traditionem universalem, ea est certissimè doctrina Christiana per Sect. 9. Imò cùm Christianismus quoad credenda, nihil sit nisi aggregatum ex articulis doctrinæ Christianæ, sequitur nihil Christianismi ad nos certò pervenire posse per Traditionem universalem, nisi aliquis particularis articulus ita perveniat. Et si Traditio universalis satis nobis confirmat hunc articulum, quid ni & illum? Quid ni & alios quotcunque?

7. Quod satis nonnullos ex Neotericis redarguit, *qui Bibliis quidem sacris fidem adhibent ob testimonium tradentium, cæteros verò articulos Doctrinæ Christianæ ex Scripturis admissis hauriendos esse affirmant, & non ab* *Ec-*

Ecclesiâ tradente accipiendos. Quid verò? Integra vis testimonii in authoritate testis sita est; ergo diversitas materiæ prorsus per accidens se habet ad fidem; sic ut cui testi credatur in unâ causâ, ei in omnibus causis credendum sit.

8. Sed *tutiùs*, dicunt, *servantur articuli Fidei in repositorio Scripturarum sacrarum, quàm in labili hominum memoriâ.* Regero, non hîc agi de præservatione articulorum omnium, sed de certitudine Traditionis eorum qui ad nos pervecti sunt. Nec in Testimonio ferendo (quod etiam antea monui) id exigitur ab Ecclesiâ præsente ut meminerit omnium quæ acceperit à superioribus, sed ut nihil tradat, nisi quod meminerit se accepisse.

9. *Sed faciliùs*, aiunt, *traditur Religio Christiana summatim in Bibliis sacris, quàm articulatim per ora hominum; ut leviori operâ integrum volumen Ciceronis porrigitur, quàm vel una pagina memoriter profertur.* Neque ego hoc inficias eo, nam faciliùs traditur unus articulus quàm multi, multorum autem Fidei Christianæ articulorum hic unus est: has Scripturas esse Verbum Dei. Non tamen si faciliùs ideò & veriùs traditur unum quàm multa, siquidem author omnium sit infallibilis.

10. *Maximè autem huic regulæ adversari videntur reformationes in Ecclesia adhibitæ, & potissimùm illa Protestantium. Multa enim à Nostratibus rejiciuntur ut falsa & sacrilega, quæ universæ Ecclesiæ Romanæ testimonio sunt de Fide Christiana. Ecclesia autem Romana (ut ut sit particularis Ecclesia) tanto est numero hominum, ut si eos mendacii formati suspicari possimus; nescias ulli humano testimonio credere. Unde sequi videtur aut condemnandam esse reformationem nostram, aut Ecclesiæ Romanæ traditionem quæ perinde est ac traditio universalis.* Respondeo.

11. Traditio ſupra explicata non eſt norma Fidei in Eccleſiâ Romanâ; ſed illud inprimis ſtatuunt, Eccleſiam ſuam etiam judicantem de articulis Fidei eſſe infallibilem; & tum illa ſola atque omnia quæ ipſi decreverint, appellant articulos Fidei. *Quid tum*, dices? Tum, inquam, quæ apud illos traduntur ut de Fide nihil ſunt niſi decreta Eccleſiæ Romanæ. Quíque ea recipiunt, non attendunt tradentium univerſalitati, ſed authoritati præcipientium. *At*, dices, *Eccleſia Romana nunquam decernit aliquid eſſe de Fide, niſi quod ut tale univerſim acceperit.* Reſpondeo, ſic fieri debere quidem; at quo argumento convincor ſic factum fuiſſe?

12. Quin verò non pauca contrarium inſinuant. Nihil enim familiariùs apud Authores Romano-Catholicos habetur, quàm quòd multi è veteribus ea tenuerint quæ jam ſunt hæretica, eos tamen Hæreticos non fuiſſe, quia ipſorum ævo hæc à nullo concilio damnata memorantur. Quod, quæſo, an non hæc duo aſſerit? Decretum Eccleſiæ docentis eſſe regulam Fidei, &, nonnulla in præſenti Eccleſiâ Romanâ cenſeri Hæretica quæ apud veteres non habebantur ut talia. Imò, non ita pridem obnixè contenderunt quamplurimi in Eccleſiâ Romanâ, ut *immaculata conceptio B. Virginis declaretur articulus Fidei* (de quo antiquorùm nemo vel ſomniavit); & hoc ſi aſſequuti non ſunt, tamen id aliquando ſe aſſequi poſſe dicuntur adhuc ſperare; tum nimirum cùm majorem partem conclavis Romani doctrinâ Scoti perfuderint. Summatim loquendo, cùm id firmum apud eos ratúmque ſit, Eccleſiam ſuam eſſe in rebus Fidei infallibilem, non eſt ambigendum, quin apud eos tradita & decreta parem ſeu eundem locum habeant & indiſcriminatim teneantur; adeoque progreſſu temporis decreta hominum pro univerſaliter traditis vulgò accipi poſſe. Et ſi hinc populo impoſitum non eſt, ei potuiſſe hinc imponi mihi liquidum

dum est. Ubi autem menti ostenditur possibilitas fallaciæ, ibi efficitur impossibilitas Fidei. Unde apparet, reformationem etiam in articulis Fidei in Ecclesiâ Romanâ receptis posse esse justam; neque inde labefactari vim Traditionis universalis, cùm illi in decretis suis non purè nitantur infallibilitate testimonii omnium sed suiipsorum (quà interpretando quà ratiocinando) judicii.

13. *Sed quæ est*, dices, *certitudo in rebus Christianismi, si decreta pro traditis jam à multis seculis supposita sunt? Quicquid habemus Christianismi, ab Ecclesia Romana id videmur habere. Hi Biblia sacra, hi Patres tradiderunt, hi articulos Fidei docendo instillârunt; & omnes quidem articulos eodem tenore, & sub eadem necessitate credendi. Quî possumus unum articulum accipere ut traditum, alium ut supposititium rejicere?* Respondeo, Traditionem Ecclesiæ Romanæ magnopere conturbatam esse ex creditâ ejusdem Ecclesiæ infallibilitate; Nec tamen omnis ejus vis interiit. Ubi enim ei convenit cum Scripturis sacris, earúmque per Sanctos Patres Expositionibus, ubi cum aliis omnibus, aut quasi omnibus Ecclesiis veteribus vel præsentibus, eatenus non potest esse suspicio quòd dogma ex propriâ Ecclesiæ Romanæ judicatione natum fuerit, nec per Traditionem universalem descenderit. Nam ut ait Tertullianus: variâsse debuerat error Ecclesiarum. Quod in diversis idem est, non est erratum sed traditum. Sed hæc copiosiùs ostendentur, ubi de Reformatione Ecclesiæ agendum erit.

14. Impræsentiarum conclusum puto, Traditionem universalem esse firmam Fidei regulam; nec tamen eam unicam esse regulam ausim ponere. Potuit Deus alias adhibere. Itaque alii dirigunt fidem suam secundùm Expositionem privatam Scripturarum Sacrarum; alii

toti dependent ab Enthusiasmis; alii judicium Ecclesiæ Romanæ sibi regulam statuunt credendi; de quibus suis locis. Nunc sit finis primæ partis hujus Summæ, in quâ sategi ostendere originem Theologiæ Christianæ, *i. e.* unde in mundum primitus invecta, & quomodo ab ejus primordiis ad nos deducta sit. Reliquum est contenta seu partes hujus Theologiæ exponere; quod alii aliter conantur. Mihi animus est regulæ compertæ adhærescere, & ea solùm dogmata adferre ut Christiana quæ omnium Christianorum consensu pro talibus habentur. Capitibus autem seu Doctrinæ traditæ, commentationes meas, ubi videbitur, subjiciam, aut commodo Lectoris, aut certè sine tædio. Methodo etiam hâc usurus sum. Inprimis ista ponam quæ hæc Theologia communi omnium Christianorum ore pronunciat de seipsâ, déque Ecclesiâ per ipsam constitutâ, tum ad ea migrabo quæ de aliis suis objectis profert. Sit ergo

---

SECT. I.

Secunda Pars hujus Summæ de iis quæ Theologia Christiana pronunciat de seipsâ.

INprimis, Theologia Christiana proclamat se exhibere consilium Dei de hominibus ad vitam æternam ducendis, patefactum per Jesum Christum.

1. Quia hæc Theologia est nuncia consilii Dei non potuit hominibus innotescere nisi per revelationem divinam. Nam consilium est actus liber, atque adeò absconditus ab omnibus extra eum cujus consilium est. Nec, cùm revelaretur hæc doctrina poterat ejus veritas ostendi argumentis intrinsecis seu ex natura rerum quas exhibet petitis. Nam consilium est actus liber, ergo potuit non

non iniri, ergo non liquet ex terminis initum fuisse, ut dictum est 1. *p. ʃ.* 3. Nec aliunde quidem quàm cœlitus. *i.e.* per miracula assensum sibi cogit. Nam supernaturalia demonstrari non possunt ex naturalibus; ut 1. *p.* *ʃ.* 3. *n.* 2.

2. Ex eodem etiam Capite sequitur partes hujus Theologiæ proprias non subjici discursibus Christianorum, nec de quoquam effato doctrinæ Christianæ quicquam inter Christianos disputari posse, nisi an sit effatum verè Christianum. Dico, *inter Christianos*, quia hi agnoscunt *hanc Theologiam esse revelationem consilii divini*; & quis tu es homo qui responsas Creatori tuo?

SECT. II.

NIhilominus, hæc Theologia proclamat *se esse doctrinam rationi rectæ prorsus consentaneam & jucundam, eique omnes cessuros esse, qui se dociles,* i. e. *attentos & non malevolos præbuerint Auditores.* Et hoc sibi asserit duplici titulo, Primò *quia demonstraverat se esse revelationem consilii divini, cui rationem submittere & justum est & suave.* Secundo, *Quia nihil sibi inesse aut à bonis moribus alienum aut absurdum involvens, per multa secula contra mundum incredulum fæliciter contendit.* Hinc jure gloriatur *se multa quidem afferre rationem humanam superantia, ei repugnans nihil.*

1. At hæc Sectio præcedenti videtur repugnare. Si enim omnia afferuntur in Doctrinâ Christianâ ut rationi humanæ consentanea, tum rationis humanæ est dispicere, ne quid rationi repugnans obtrudatur ut Doctrina Christiana. Nam frustra quispiam sua jactat esse secundum rationem, si ea per rationem examinari non patitur. Ego verò regero, quòd frustra id in trutinâ ra-

tionis humanæ pones, de quo certus es quòd ſit divinitus oriundum. Deus quidem loquitur tam per naturam quàm per ſupernaturalia, nec magis fallit per rationem, *i. e.* per principia rationis naturalis quàm per Miracula. Licèt verò rationem humanam fecit Deus veracem in omnibus quæ comprehendit ut tamen omnia compræhendat ei non conceſſit. Quæ ergo ſunt certò Chriſtiana & noſtro tamen ſenſui repugnantia, ea & credimus eſſe & rationi rectæ adverſa non eſſe, quicquid obſtrepat ratio principiis ordinariis fulta & metiens cœleſtia per terreſtria. Si Chriſtus ipſe dixit, Chriſtianus non ultra ambigit.

2. Dices, *Indagationem rationalem ſic compeſcere ſit humilitatis Chriſtianæ, at ſi evidens ſe oſtendat contradictio, animus humanus ei non poteſt ſubmittere.* Concedo non poſſe, ſed nec poſſe, aio, evidentem eſſe contradictionem in Myſteriis Fidei Chriſtianæ. *Cur?* Quia ab iis omnibus ſtat aut infinita Dei eſſentia, aut ejus omnipòtentia, quibus intellectum noſtrum æquiparare non magis impium fuerit quàm fatuum. Rem ſic ediſſero. Multa in Deo clarè videmus infinities plura aciem noſtram ſuperant. In propoſitionibus autem de fide Chriſtianâ prædicatum attribuitur ſubjecto non ratione ejus quod à nobis videtur, ſed ratione ejus quod ſuperat viſum; alioqui enim iſtæ propoſitiones non occuparent fidem noſtram ſed ſcientiam. Eſto exemplum inſtar omnium. In Deo clarè video quòd eſt unus, quòd eſt vivens, quòd eſt ſapiens, bonus, &c. Clarè etiam video Deum non quà unum, aut quà viventem, aut quà bonum, &c. eſſe Trinum in perſonis (dum ſcilicet has perfectiones concipio univocè cum noſtris quæ ſunt iis cognomines); ſed infinitatem Dei in his perfectionibus non penetravi, in cujus abyſſo neſcio an non ſit ſufficiens cauſa attribuendi talem Trinitatem tali Unitati. Id eſt,

eſt, Trinitas Perſonarum evidenter repugnat Unitati eſſentiæ limitatæ, non evidenter infinitæ. Age jam, tu contendis Deum non ſubſiſtere in tribus Perſonis ob repugnantiam obſcuram terminorum, at clarè vides hoc ſic eſſe revelatum à Chriſto. Quod quæſo quid eſt niſi evidentiæ ſuſpicionem anteponere? Quid niſi abjicere id quod clarè vides ob id quod clarè videre non potes?

3. Et hæc generatim ſic dici ſufficiat; in ſingulis poſtea capitibus quod ab Atheiſmo objicietur conabor diluere. Nec pigeat tamen Monitiunculam dictis adjicere. Si infideli ſuadere tendis ut Chriſtianiſmum ſuſcipiat, patet ex dictis teſtimonio tibi nitendum eſſe, teſtimonio inquam, Dei & hominum (ut 1. *p.* oſtenſum eſt) tanquam cauſæ fundamento, ex naturâ verò rerum ſatis cum cautelâ eſſe diſputandum. Si etiam Infidelis quamcumque Chriſtianiſmi partem Philoſophicis principiis arietat, Chriſtiano defendenti ad Infinitæ Dei Eſſentiæ & potentiæ arces recurrendum eſt; nec ſperare debet, ſupernaturalia principiis ex naturâ rerum inferiorum petitis defendi poſſe.

SECT. III.

ITerum Theologia Chriſtiana proclamat hanc revelationem conſilii divini per Chriſtum factam eſſe ſufficientem nec hominibus opus eſſe alio commonſtratore ad ſalutem; ultimam etiam eſſe quæ unquam dabitur de hominibus ad ſalutem ducendis.

1. Nec enim ſicut Moſes & Prophetæ ſucceſſere Patribus, ac Chriſtus Moſi & Prophetis, ſic Chriſto alius Propheta addendus; ſed per Chriſtum & ex ejus

Evan-

Evangelio Vivi & Mortui, *i. e.* omnes homines in fine Mundi sunt judicandi. Hinc sic monet Dominus: Si dixerint, hic est aut ibi est, nolite exire. Hinc etiam Mahometi, ut impostura sua admitti possit, pernecessarium visum est Christum Divinitate suâ prorsus exuere. Intellexit enim post Filium Dei missum servulorum legationi locum non fore,

2. At quid dicemus de Revelationibus post Ascensionem Christi per Spiritum Sanctum factis? Respondeo: Quod Christus per Spiritum suum fecit, id ipse fecit; adeóque est una utriusque patefactio. Sciendum tamen est Christianis omnibus certum esse, quòd Christus ipse in terris agens plenam Evangelii patefactionem Discipulis fecerit; nec Spiritum Sanctum quicquam de integro mentibus ipsorum instillâsse. Itaque dicit Dominus: Ipse vobis reducet in mentem omnia quæ Ego vobis dixi, *Jo.* 4.

3. *At Sanctus Paulus proclamat se nunquam edoctum fuisse Evangelium ab hominibus, sed per immediatam revelationem accepisse.* Fateor; Sed accepit per revelationem à Christo, quem vidit licèt serò. Nihil etiam de novo accepit, sed prorsus idem de Cœlo edoctus est, quod cæteri didicere è Christi ore cùm in terris esset. Hoc ipse testatur *Gal.* 1. Si Angelus de Cœlo aliud Evangelium prædicaverit quàm quod nos prædicavimus sit anathema. Si autem S. Paulus prædicavisset aliud quàm quod cæteri Apostoli prædicavere, tum cæterorum erat prædicare aliud quàm quod S.Paulus prædicaverat; & sic essent anathema. Constat ergo eandem fuisse revelationem quoad res revelatas quam Christus exhibuit in terris, & quam è cœlo aut exhibuit aut exhibebit.

SECT.

SECT. IV.

ITerum Theologia Christiana proclamat *se esse necessariam*, i. e. *se esse unicam Magistram viæ ad vitam æternam, omnesque ejus exortes esse in tenebris & umbrâ mortis.*

1. Omnibus Christianis certum est, neminem nisi per Christum ad vitam æternam posse pervenire. Verùm non agitur in Theoremate de Christo ipso sed de ejus doctrinâ, de cujus necessitate ad salutem sic quod sentiam, explico.

2. Si quis aut non recipit oblatam aut acceptam rejicit Doctrinam Christianam, is Cœlum ingredi non potest; quia Christum recusando sibi unicum Misericordiæ fontem occludit. Itaque dicit Dominus: Hæc est condemnatio, quòd lux venit in Mundum, & homines diligunt tenebras magis quàm lucem.

3. Iterum, sine cognitione Christi nemo sibi jure promiserit vitam æternam. Erravimus enim omnes, etiam plurimarum virtutum conscii. Mentem autem Domini quis novit? *i. e.* quis sciat quomodo Majestas Divina præmiis aut pœnis servos suos tractatura sit?

4. Qui tamen Ethnici inaudito Christi nomine operam virtuti obnixè navant (eorumque non pauci ita videntur fecisse), non possunt non alere spem quandam & expectationem præmii etiam post mortem. Nam naturâ docente se officio obstrictos agnoscunt, eique se promptè accingunt. Ubi autem est officium ibi est Dominus; nam qui obligatur à Superiore obligatur. Eâdem demum naturâ docente, probi sciunt Ethnici virtutem laude ac præmiis esse dignam, iis autem in hâc vitâ eam plerumque spoliari, auxilium ergo

à

à justo bonoque Domino expectandum esse.

5. Verùm possuntne homines sine cognitione Christi per Christum ad vitam æternam perduci? Respondeo, nihil tale aut in Scripturâ sacrâ, aut in universali traditione comperio expresse dictum; nisi solummodo de infantibus baptizatis quos Ecclesia Christiana semper censuit esse in viâ ad felicitatem. Spes tamen aliqua hujus Misericordiæ videtur relicta. Sit exemplar bonus ille Samaritanus qui viatori saucio succurrebat. Is Doctrinam Christianam oblatam fuisset certissimè amplexus (*per Sect.* 2.), ergo pro virili suâ jam est eam amplexus. Nihil enim ei deest nisi doceri; docere autem est Dei munus. Ac licèt Deus huic muneri non sit astrictus, incredibile tamen est Deum bonum plus esse à quoquam expetiturum, quàm ei concrediderit. Peccârunt, dices, optimi. Respondeo: satisfecit Christus. Ac attende sis: Christus mortuus est pro inimicis suis; in his non ferociter se gessit probus hic Ethnicus. Nec excludamus eum à Domini meritis ut alienum, quem Dominus proponit ut exemplar suis. Demum reputa, num Judæis omnibus qui ante Christi tempora cum laude mortui sunt, intellectum fuerit Mysterium Incarnationis? num jam ab infantibus baptizatis intelligitur?

6. Vide etiam quomodo respondeas objectioni à Porphyrio factæ. *Si Christus venit in mundum ex amore hominum, cur non citius venit?* Quia, dices, Christi merita valebant ad hominum salutem à principio. *Sed*, dicet Porphyrius, *ad cognoscentium tantùm salutem. Quomodo autem cognosceretur ab iis quibus nunquam erat promissus?* Videtur dicendum esse cum S. Paulo, quòd Deus etiam ante Christum non se reliquit sine teste apud Gentes; iis enim indidit lumen rationis naturalis quod si sequerentur, & suam conscientiam pacarent, & spem

etiam

etiam in Deo alerent. Ad hoc etiam Officium peragendum quotidianis Providentiæ Divinæ beneficiis invitabantur.

7. Salus quidem erat Judæorum (*Jo.* 4.) & Judæorum tantùm vi legis suæ positivæ. Quòd verò in aliis Gentibus non fuerit salus ex observatione Legis Naturæ, non ausim dicere. Sic Jam: Extra Ecclesiam non est salus; scilicet vi Religionis cujuscunque positivæ. An verò Religio naturalis proficiat Gentibus Christi ignaris ad vitam æternam, in Manu Dei Optimi Maximi est, contra cujus infinitam bonitatem non magis ausim disputare quàm contra infinitam ejus potentiam. Interea cùm nulla de hoc habeatur cœlitus promissio, rem inter Miracula reponamus quæ expectare improbum est; stétque Theorema: *Religionem Christianam esse necessariam ad vitam æternam.*

SECT. V.

Iterum Theologia Christiana proclamat se esse prædicandam omnibus hominibus, maceriâ scilicet Ecclesiæ Judaicæ per Christum omnium Gentium Dominum diruta.

1. Sed cur tam enixè est edocenda hæc Doctrina, cùm superiori articulo quasi conclusum sit posse homines Christi ignaros per Christum salvari? Respondeo: Non est conclusum, sed vix quidem opinatum (exceptis infantibus baptizatis); idque ipsum natum est humano & omnibus hominibus benevolenti animo, non autem ullo in Ecclesiæ Doctrinâ fundamento. Salus verò hominum pluris est quàm ut sic freta relinquatur. Iterum posito quòd possit homo rationem sequens per Christum incognitum servari, est tamen ratio hominis

tam indocta Ductrix in tam salebrosis viis, *i. e.* inter tot irritamenta malorum quibus omnes obsidemur, ut vix quisquam non in multis deprehendatur delictis. Doctrina autem Christiana tam liquidò ostendit & Regnum Cœlorum & rectum eò iter ut non tam ducat quàm trahat nos ad vitam æternam.

2. Si tamen, dices, Christianæ Religioni non satis obsequentes eam nunquam fuissent edocti, levioribus ii suppliciis plectendi forent. Respondeo hoc accidere & suâ ipsorum culpâ & justitiâ Dei optimâ. Quid enim justius quàm ut ii severè puniantur qui ad Officia sua exequenda nullis præmiis allici poterant? Nec interea tam anxiè cavendum est de gradibus inferni. Satis est miserum utcunque damnari. Et quæ spes est servari eos posse ductu rationis, qui claro Evangelii jubari terga dant?

3. Evangelium etiam obnixè prædicandum fuit in honorem Christi, qui ut Meritis universa complevit, sic & nomine complere debet, laudésque à Mundo redempto accipere. Charitate erga & Christum & homines ad obnixè prædicandum Evangelium devincimur; Itaque S. Paulus dicit de seipso: Væ mihi si non Evangelizavero.

4. Interea vitandus est Error Vulgi nostratis, qui putant prædicationem Evangelii stare solùm, in habendis concionibus frequentibus & prolixis, qualibúsque nunquam aut Christus Dominus usus est, aut Apostoli ejus, aut per multa secula Patres. Ac sunt illæ quidem conciones aliquota pars Prædicationis Evangelicæ; Sed præterea, quicquid feceris quod tendat ad propagandam Fidem Christianam, eo ipso prædicas Evangelium; qualia sunt cultum publicum exhibere & ornare, vitâ & Moribus Religionem nostram commendare, Pastores procurare, Ecclesiis consulere. Jam omnes Martyres

res erant insignes Prædicatores Evangelii ; cùm sanguis Martyrum fuerit Ecclesiæ semen.

SECT. VI.

PRoclamat ulteriùs Theologia Christiana se fuisse per Christum ipsum & ejus Apostolos, aliósque Ministros omnibus prædicatam.

1. Non puto necesse esse ut credamus Evangelium omni homini aut omni omnino Genti primo statim seculo promulgatum fuisse. Sufficit scire, quod certissimum est, ejus promulgationem terras ipsâ Apostolorum ætate eo úsque pervasisse, quoúsque incredibilis prædicantium & diligentia, & patientia, & perseverantia perferre poterant. Cùm itque audiêris Christum omnibus apparuisse & omnibus imperare pœnitentiam, intellige de valdè multis & quasi omnibus, quibus alii atque alii semper addendi essent.

2. Mireris cur Deus amator humani generis tam serò nonnullas Gentes ad Christianismum invitet. Respondit aliquando S. Augustinus; quòd Deus prævidit eos recusaturos esse Evangelium oblatum. Sed retractavit hoc Responsum; ac videtur quidem hoc refundendum esse prorsus in absolutam Dei prædestinationem. Interea semper memineris Deum non reliquisse se sine testimonio etiam apud barbaros, ut § 4.

SECT. VII.

DE ordine autem promulgationis Evangelii hic concors Christianorum sensus est. *Evangelium primitus prædicatum fuisse in Paradiso, cùm promitteret Deus semen mulieris quod caput serpentis percelleret. Quo nihil minus potuit intilligi quàm mortalis Redemptor qui homines eriperet omnibus iis malis in quæ incitante serpente,* i. e. *Diabolo, inciderant Postea Abrahamo lucidiùs enunciatum fuit è semine suo Servatorem mundi esse oriturum. Id Mosi clariùs adhuc, & adhuc clariùs Prophetis sub nomine Messiæ revelatum fuit. Joannes Baptista Regnum Dei instare, jam in ipsis seu inter ipsos esse ad populum Judaicum clamavit. Mox, populo Messiam identidem expectante, Tiberio autem Cæsare imperante, Christus se ostendît, & se esse Dei Filium asseruit. Mysteria autem Doctrinæ suæ non promiscuè omnibus patefecit, sed seorsim à vulgo ea explicuit duodecim primariis suis Discipulis quos etiam Apostolos nominavit, quibusque promisit quòd super eos fundaret Ecclesiam suam, quorumque operâ usus est in nomine suo prædicando & in Discipulis baptizandis. Elegit etiam Christus septuaginta alios inferioris Ordinis Discipulos quos in omnes Civitates, quas ipse visurus erat, in singulas binos præmisit, ut prædicarent Regnum Dei instare. Nec quicquam ulteriùs de his* 70. *traditum comperio. Cùm autem non solùm populus, sed ipsi etiam Apostoli quasi surdis auribus Evangelium capesserint, promisit suis Christus Spiritum Sanctum eòs in omnem veritatem ducturum. Interea Christum complures sequebantur. Cùm autem tempus ad hoc à Deo præfinitum advenisset, Christus crucifixus est & triduum jacuit sepultus, Discipulis ejus eo quod acciderat attonitis, atque adeo dissipatis, latentibus, nec de Christo quic-*

quicquam hiscere audentibus. Tertio autem die Christus resurrexit, & apparuit primò aliquot suorum Discipulorum, post aliis & per quadraginta dies multoties omnibus, instituens eos in omnibus Religionis suæ mysteriis, mentisque eorum oculos aperiens, ut dicta sua intelligerent & capesserent. Inter cætera autem declaravit se esse mox ascensurum in Cœlos, & ibi úsque ad finem Mundi esse permansurum. Apostolisque mandavit ut eant, & Evangelii prædicationi per omnes terras obnixe incumbant, Ierosolymis tamen maneant donec ipse cœlitus demiserit Spiritum Sanctum, qui & corda ipsorum illuminaret confirmaretque, & Mundum miraculis convinceret, ipsos præsciens Ecclesiæ suæ colligendæ cum omnimodâ potestate in rebus ad Regnum Dei pertinentibus, pollicitus se ratum in cœlis habiturum quicquid ipsi fecerint in terris. Christus ascendit, & die Pentecostes insequente Spiritus Sanctus descendit super Apostolos, iisque insedit specie linguarum fissarum. Hoc illi afflati Doctrinam Christi statim apertè prædicant, primùm Judæis, mox etiam ubique terrarum Gentibus. Multitudo autem hanc Doctrinam profitentium dicebatur Ecclesia Christi.

1. Partes Historiæ Domini fusiùs postea suo loco in hac summâ tractandæ sunt; hîc tantùm attinguntur, quatenus exhibeant Methodum promulgationis Evangelii.

2. Ex dictis autem patet Christum reliquisse Ecclesiam ut Multitudinem ordinatam seu in formâ corporis politici. Quippe Apostolos fuisse Præpositos & Pastores, reliquos omnes horum ditioni in rebus ad Regnum Dei pertinentibus subditos, *i. e.* omnium Discipulorum fuisse Apostolis docentibus Fidem habere, & eorum constitutionibus Morem gerere. Quicquid enim illi solverunt aut ligârunt in terris, id in Cœlo solutum aut ligatum fuit; déque hoc convincebantur Discipuli antequam

quam discipularentur. Jam autem de Ecclesiâ dicendum est quæ differt ab Evangelio solùm ut concretum ab abstracto ; Ecclesia e. Christi est cœtus profitentium Doctrinam Christianam.

SECT. VIII.

EST autem Fides Universalis Christianorum, *quòd Ecclesia Christi est una, sancta , Catholica & Apostolica.*

1. Angeli beati non sunt partes hujus Ecclesiæ ; nam Christus non assumpsit Angelos. Ac licèt Christus sit communis Salvator omnium hominum , tamen Fideles sub lege impropriè dicuntur partes Ecclesiæ , ob ingens discrimen dispensationum. Christus etiam dicit se conditurum esse Ecclesiam suam , loquens ut de re infectâ.

2. Cœtus Fidelium non appellabatur Ecclesia antequam 120. Discipulis adderentur circiter Tria Millia hominum concione Petri conversorum. Túmque incepit Christus præstare quod promiserat Petro: Tu es Petra, & super hanc Petram ædificabo Ecclesiam meam. Atque huic Primitivæ Ecclesiæ addebantur de die in diem per Prædicationem Apostolorum ii qui erant salvandi. *Act.* 5. 14. Et quotquot deinceps in hunc diem credidere, addebantur eidem Ecclesiæ , & tenebantur firmiter permanere in Doctrinâ & societate , *&c.* quod dicitur de primis additis *Act.* 2. 47. Et esse prorsus unius cordis & unius animæ. *Act.* 4. 32, & 5. 14.

3. Jam Christus est Fundamentum Ecclesiæ absolutè, quia tota Doctrina Evangelica est de Christo ; à Christo etiam per revelationem. *Jo.* 1. Nemo unquam vidit Deum , Filius eum revelavit. Et hoc sensu dicitur : aliud

aliud Fundamentum nemo poteſt jacere. 1 *Cor.* 3. 11. Eccleſia tamen dicitur etiam fundari in Apoſtolis. *Eph.* 2. 19, *&c.* ſcilicet ſecundum aliquid; in quantum totum Evangelium à Chriſto revelatum Apoſtolis ii Mundo prædicabant, & Eccleſiam ad Voluntatem Domini conſtituebant.

4. Tantum commiſſum erat à Chriſto omnibus Apoſtolis quantum Petro, ſcilicet in ſolvendo & ligando quæ eſt poteſtas Clavium. Petro verò idem ſeorſim committitur, quia per eum Chriſtus incepturus erat ædificationem Eccleſiæ ſuæ, cui cæteris Apoſtolis incubuit ſuas partes addere. Pérque hoc Petro videtur Conceſſus Primatus Ordinis, nullo modo Authoritas.

5. Doctrina Evangelica erat prior Eccleſiâ, utpote ejus Formatrix, itaque etiam eſt per eam invariabilis. Conſtitutiones autem Apoſtolicæ erant poſteriores Eccleſiâ, quippe eam ſupponentes & ad ejus bene eſſe pertinentes. Itaque illæ quidem obligârunt Eccleſiam de præſenti, ob abſolutam authoritatem Apoſtolorum. Sed num eas poterat Eccleſia ſuccedens mutare aut abigere? Affirmat Thorndicius, quia ſunt poſteriores Eccleſiâ conſtitutâ, adeóque judicio ejus relictæ, cui nihil non commiſſum ad Regnum Cœli pertinens. Ego ſic dicendum reor: Poterant Apoſtoli conſtituere nonnulla ex Mandato Domini, & hæc ſtabilitatem perpetuam habuiſſe conſtat, niſi expreſsè dictum ſit ea in tempus tantum conſtituta fuiſſe. Poterant etiam conſtituere alia pro ratione Perſonarum, Temporum & Locorum, & hæc vim non habuiſſe conſtat niſi rebus judicio Eccleſiæ ſic ſtantibus, ut apparet in Cænis ante Euchariſtiam, & in Mandato eſum Sanguinis prohibente. Unde ſequitur non ſine periculo moveri Conſtitutiones ignotæ Originis, ſed in Eccleſiâ antiquitus receptas, ne fortaſſe

taſſe fuerint Apoſtolicæ, & ſi Apoſtolicæ fortaſſe Divinæ.

6. Hæc utcunque ſe habeant, conſtat Chriſtum non formâſſe Eccleſiam niſi mediantibus Apoſtolis, adeóque vim omnem conſtituendi aut abolendi quam habet Eccleſia ab Apoſtolis eſſe. Tandem conſtat cur Eccleſia dicatur Apoſtolica, nempe quia fundabatur Prædicatione Apoſtolorum, eorúmque doctrina & conſtitutionibus continetur. Religionem ergo in novis illuminationibus fundare eſt Chriſtianiſmum abjicere, & ſomniis ſe dedere.

7. Cur dicitur Eccleſia una cùm ſint multæ? Reſpondeo: Sunt multæ Eccleſiæ Materialiter, *i. e.* ſunt multi Cœtus particulares Chriſtianorum. At omnes illæ ſunt formaliter una, quia omnes ſuper ædificantur eidem Fundamento, nempe Chriſto & Apoſtolis; habent omnes eandem Doctrinam, exercent eundem cultum, *Act.* 2. 41, 42, *&c.* Adde unitatem Spei. *Eph.* 4. 4. Unitatem Charitatis. *Eph.* 4. 3. Et unitatem Regiminis in quantum Chriſtus regit & ducit omnes per Miniſtros. *Cyprianus Ep. ad Antonianum.* Cùm ſit Eccleſia à Chriſto per totum Mundum in multa Membra diviſa, item Epiſcopatus unus, Epiſcoporum multorum concordi numeroſitate diffuſus.

8. Unitati Eccleſiæ apponitur Hereſis quæ eſt diſſidium ab Eccleſiâ in Articulis Fidei; & Schiſma, quod eſt diſſidium ab Eccleſiâ ob Conſtitutiones & Formas cultus. Cui vide quantum inſit mali: Schiſmatici non uniuntur Charitate cæteris Chriſtianis, ergo Fides & Sacramenta iis non proſunt. In caſſum cætera præſtant qui charitate deſtituuntur. In omni tamen diviſione una quævis pars eſt ab altera tantundem diviſa. In ſchiſmate ergo non diſtantia ſed cauſa diſtantiæ eſt crimen.

9. Ec-

9. Ecclesia dicitur Catholica, *i. e.* Universalis, quia non est astricta uni Genti sicut Synagoga. Itaque si particularis Ecclesia dicitur Catholica, aut quivis homo dicitur Catholicus, hoc est, quia adhærent Ecclesiæ Catholicæ, seu Generali. 2. Ecclesia potest dici Catholica ob Universalitatem Doctrinæ quæ comprehendit omnia scitu necessaria, ut nemo opus habeat exire ad privatos Magistros 3. Ecclesia præscribit omnimodam obedientiam omnibus hominibus. 4. Præbet omnes gratias, *i. e.* Medicinam contra omnes Morbos spirituales, & vim ad omne bonum opus. Ita Piersonus. Verùm ego putaverim Ecclesiam in principio dictam fuisse Catholicam non in oppositione ad Synagogam, sed ad Conventicula Hæreticorum. Ecclesia enim vera omnibus insedit terris, Hæretici autem multi in multis Sectis, sed in singulis pauci in suis quíque quasi speluncis agebant, & se invicem & Ecclesiam generalem mordicus tractantes.

10. Ecclesia constat è veris fidelibus & Hypocritis; itáque comparatur reti quod capit Pisces omnium generum; & segeti in quâ Zizania tritico coalescunt. Tamen hæc Ecclesia jure dicitur sancta, 1. Quia omnes per Baptismum Vocationem habent à mundo, quæ separatio est quædam sanctificatio. 2. Munia Ecclesiastica sunt sancta utpote sanctitatem operantia, ergo Ecclesia in quâ exercentur, est sancta. 3. Omnes profitentes Christianismum ad internam sanctitatem obligantur. 4. Finis constituendæ Ecclesiæ erat comparare populum purum & sanctum. Ecce etiam Jerusalem appellabatur urbs sancta cùm esset cultu & Moribus valdè depravata, *Mat.* 27. Ecclesia ergo tota est sancta sanctitate institutionis, at respectu verè Fidelium in hac vitâ est sancta internè licèt imperfectè. Erit perfectè sancta tum cùm in infernum detrusis Hypocritis Fideles

gloriâ coronabuntur, *Eph.* 2. 27. & 5. 25, &c. Ecclesia ergo Militaris & Triumphans non sunt duæ Ecclesiæ, sed ejusdem Ecclesiæ duo status. In priori sancti commiscentur improbis, in posteriori nihil est impuri.

11. In Symbolo Articulus de Ecclesiâ ponitur statim post Articulos de Trinitate. Rationem reddit Tertullianus de Baptismo: Cùm sub tribus & testatio Fidei & sponsio salutis pignorentur, necessariò adjicitur Ecclesiæ mentio, quoniam ubi tres ibi & Ecclesia quæ trium est corpus. Indidem Augustinus probat Divinitatem Spiritus Sancti. Si Spiritus Sanctus esset creatura, non præponeretur Ecclesiæ ad quam pertineret. Ut additamentum ad Articulum de Ecclesiâ quivis Christianus dicit.

SECT. IX.

Credo Communionem Sanctorum.

1. HÆC pars Articuli de solis verè Sanctis intelligenda videtur. Et hi communionem habent cum Deo Patre, 1 *Jo.* 1. 3. in quantum pro iis curat, *Jac.* 2. 23. Et cum Filio, quia ipse Maleficia eorum sustulit, & nos de gratiâ ejus participamus. Et cum Spiritu Sancto, 2 *Cor.* 13. 14. Imò ipse nos sanctificando communicat nobis & Patrem & Filium. Habent etiam Communionem cum sanctis Angelis, *Luc.* 15. 10. *Heb.* 1. 14. *Mat.* 18. 10. Item cum omnibus Sanctis in terrâ, scilicet in gratiis internis & cultu externo, 1 *Jo.* 1. 7. Sunt omnes Membra unius corporis, *Col.* 2. 19. Item cum Hypocritis in omnibus externis Dei cultus. Item cum omnibus peccatoribus in iis quæ non sunt pec-

cata,

cata, ſed non in peccatis, *Eph.* 5. 11. 1 *Tim.* 5. 22. *Apoc.* 18. 4. Item cum Sanctis glorificatis; nam Unio omnium Sanctorum cum Chriſto eſt Fundamentum Communionis eorum inter ſe; at illa Unio non tollitur per Mortem, ergo nec hæc Communio, ſed perficitur, *Heb.* 12. 22, 23. Hæc Communio ex parte ſanctorum vivorum ſtat in ſpe Gloriæ quam illi poſſident, & in æſtimatione & imitatione virtutum. Ex parte Sanctorum beatorum hæc Communio ſtat in Votis & ſupplicationibus pro nobis. Copioſa turba de ſuâ incolumitate ſecura, adhuc de noſtrâ ſalute ſollicita eſt, *Hom.* 81. *De tempore.*

2. Et hæc omnia vera ſunt; in hâc tamen particulâ Symboli putaverim præcipuè intelligendam eſſe Communionem inter Sanctos in terrâ, quoad omnia bona & corporalia & ſpiritualia. Nam licèt omnia Sanctorum corporalia non ita formaliter tradantur communitati ac factum fuerit in Primordiis Eccleſiæ, tamen virtualiter idem fit, in quantum obligamur omnes ad opitulandum egentibus quantum poſſumus. Jam quod ad ſpiritualia patet ea eſſe communia omnibus Chriſtianis.

3. Veteres videntur præcipuè attendiſſe ad Communionem Sanctorum in terrâ cum iis qui ſunt in Cœlo. Bellarminus addit Communionem Sanctorum in terrâ cum Sanctis in Purgatorio, *i.e.* in Utopiâ.

SECT. X.

ULteriùs omnes Christiani testantur quòd omnes qui hanc Doctrinam suscipiunt, eam, ubi opus erit, profiteri seu coram hominibus agnoscere teneantur.

Atque hinc sequitur Ecclesiam Christi esse essentialiter visibilem in hoc Mundo. Cùm enim Professio sit de Essentiâ Christianismi, non est Christianus qui ab hominibus Christianismum suum abscondit. At dices; Frequens est apud Theologos Mentio Ecclesiæ invisibilis. Respondeo: In Ecclesiâ sunt quædam Membra viva, nempe verè fideles; quædam etiam Mortua, nempe Hypocritæ. Per Ecclesiam invisibilem intelligunt verè fideles, quia eorum sinceritas est nobis invisibilis atque adeò eorum numerus. Itaque Ecclesia non dividitur in visibilem & invisibilem, sed se habent ut totum & pars. In Symbolo verò per Ecclesiam sanctam intelligenda est Ecclesia visibilis, ut explicatum est *Sect.* 8.

2. Sed quomodo judicabitur quando opus sit aut conveniat Professionem Christianismi facere? Respondeo: Omnes Christiani agnoscunt sibi incumbere ut authoritate publicâ interrogati de Religione suâ, eam agnoscant. Nam qui tum non profitetur Christum, eum negat; & qui eum negat, ab eo negabitur. Sed quid dicemus Hobbeo, apud quem licet abjurare Christum mandante supremo Magistratu? Quippe peccatum non esse abjurantis sed mandantis. Ego verò dico huic quod Angelus olim Satanæ: Increpet te Dominus qui Religionem quam Filius Dei docuit, humanæ subdis libidini. De quo plura ubi de Martyrio.

SECT.

SECT. XI.

Ulteriùs omnes Christiani testantur infinitam hominum multitudinem ab Apostolis ipsis Christianismum suscepisse, eique per omnes vitæ mortisque labores adhæsisse.

Non ut Israelitæ Cananæos ferro & laboribus subegere, non ut Mahometes ferro & voluptatibus vicinos suos attraxit; sed contra Apostóli omnia passi omnia passuros sibi ascivere, eósque tam multos ut furorem inimicorum etiam patiendo vicerint.

SECT. XII.

Certum etiam est apud omnes Christianos, hanc Doctrinam à Christi temporibus ad nostra viguisse, & innumeros singulis seculis Professores habuisse, qui & Regionibus disjuncti & linguis discrepantes essent, postremò nihil ultra humanitatem haberent commune præter Religionem Christianam.

En Firmamentum Traditionis Christianæ, in quo apparet tam fuisse impossibile errorem in Christianismum irrepere ullo post Christum seculo, quàm hoc idem in nostro seculo impossibile est. Impossibile, inquam, jam est & semper fuit ut error exoriatur in Ecclesiâ testimonium gerens Traditionis Universalis; ut verò aliundè enascatur error & possibile est, & in nimium multis exemplis, actu evenit.

SECT. XIII.

Ulterius Doctrina Christiana proclamat se esse semper apud homines valituram, & ad finem Mundi duraturam, nec unquam fore ut portæ Gehennæ eam prævincant.

1. Hic agendum est de mediis quibus curavit Christus Doctrinam suam sartam tectam servatum iri. Atque ea duûm generum esse video, alia ex naturâ rerum, alia ex Constitutione Domini. Alia, inquam, ex naturâ rerum Evangelio propagando tuendóque inserviunt, nempe ex naturà Evangelii, & ex naturâ hominum. Inprimis ipsius Doctrinæ honestas, & in hoc ipso mundo utilitas eam commendat hominum animis. Verùm bonorum tantùm. Mali quales plerique sumus eam vel hinc oderunt. Itaque ut Doctrina Christiana in stirpe Adami, *i. e.* ut agna inter lupos ab interitu vendicetur, propugnaculum aliquod ultra ejus essentiam addi debuit.

2. Accedit non nihil opis ex naturâ hominum scilicet bonorum. Postquam enim Christus Doctrinam suam valdè multorum animis per Apostolos insevit, pii semper ex amore Dei & posterorum suorum ingenti zelo & industriâ eandem Doctrinam inculcaverunt & inculcabunt. Unde nonnulli (præcipuè Traditionistæ Romani) jactitant eam animis hominum per naturam rerum elabi non posse. Quod ego nunquam potui intelligere. Nam Christianos quàm plurimos posse ab hostibus obrui ex fortunâ multarum in oriente Gentium comperi; quódque jam accidit valde multis, id potest per naturam rerum accidere omnibus; omnibus autem Christianis aut occisis aut à Fide lapsis, ubi est Christianismus? Christiana ergo Religio non satis est defensa à portis

portis inferni, aut suâ innocentiâ aut pio eam profitentium zelo. Sint hæc adjumenta salutis ejus, firmamenta sunt altiùs petenda, nimirum ex constitutione Domini, atque ea video esse partim visibilia partim invisibilia.

3. Media visibilia per quæ Christus Religioni suæ propagandæ & conservandæ cavit sunt Ordines sacri & Scripturæ sacræ.

SECT. XIV.

QUod attinet ad Ordines sacros, Christianis omnibus certum est, *Christum elegisse duodecem Apostolos, in eorùmque manu, cùm ipse ascensurus esset, Ecclesiam suam reliquisse. Ulteriùs constat apud omnes Christianos, quòd Apostoli ad munia Ecclesiastica quibus adesse ipsis non vacabat, elegerint nonnullos è Discipulis, & solenniter per impositionem manuum ordinaverint, nec non Ordinatorum nonnullis authoritatem dederint alios ubi res posceret ad munia Ecclesiastica ordinandi & Ecclesias regendi; hisque omnibus injunxerint ut nunquam ab opere desistant. Pérque hæc providerunt ut nullo seculo Ecclesiæ deessent qui Christianæ Doctrinæ propagandæ ac tuendæ incumbant. Nam quod Apostoli præstitere suo seculo ad ædificationem Ecclesiæ, id præstandum incubuit per succedentia secula præsentibus Ecclesiæ Rectoribus.*

1. Observa primò, per Ordinationem apud Christianos imprimi characterem personalem, *i.e.* hominem ordinatum esse devotum & consecratum famulitio Christi, nec posse officium suum ad extremum halitum exuere. Apud Turcas Ministri identidem relinquunt sua, apud Christianos nunquam, nisi fortasse apud Russos, à quâ gente barbarie non ita dudum opple-

tâ

tâ & Chriſtianiſmum ſub peſſimâ formâ profitente, non ſunt Chriſtianorum conſuetudines cenſendæ. Non nulli quidem apud nos ex ordine Diaconatus elabuntur ad curas hujus Mundi, ſed (uti mihi videtur) non ſine culpâ. Nam cùm te Familiæ Chriſti aſcribi curaveris, iniiſti pactum cum Chriſto; at pactum niſi utrâque parte conſentiente non jure ſolvitur. Nulla ergo eſt libertas ab hoc ſervitio niſi per Manumiſſionem Chriſti. *Quid*, dices, *cùm Diaconus ſit Presbyter?* Dico eum eſſe adhuc Diaconum, *i. e.* habere poteſtatem ad omnes actus Diaconatus, iis tamen ſolis non alligari, quia plus quàm Diaconus eſt.

2. *Sed quid dices de iis qui ob delicta ſacris Ordinibus Canonicè exuuntur?* Dico, Probabile eſſe characterem Ordinatorum indelebilem eſſe, & jure exutos Ordinibus habere adhuc poteſtatem ſed ligatam, ſic ut qui pœnitentiâ meruerint in gratiam recipi poſſint ſine novâ Ordinatione Munera Eccleſiæ obire. Nam apud Chriſtianos pœnitens eſt quaſi innocens; & quod tollit crimen videtur auferre omnia incommoda illud crimen inſequentia. Nec minùs tamen veriſimile eſt huic contrarium Dogma. Nam cùm Eccleſia quempiam è ſacris Ordinibus ob flagitia deturbat,quantum in ipſâ eſt,ei aufert omne quod dederat. Cur autem ſuſpicemur eis denegari authoritatem malè meritos abſolutè ejiciendi, quorum eſt judicare de Meritis recipiendorum. Nec incommodum eſt ut tales poſt pœnitentiam (ſi videbitur) de integro ordinentur.

3. Obſerva iterum non eſſe populi Chriſtiani Miniſtros ordinare aut conſtituere. Nam in primâ conformatione Eccleſiæ Chriſtus Apoſtolos rebus præfecit, Apoſtoli alios rebus præfecerunt, & ſic deinceps. Unde ergo Chriſtiano homini in mentem veniat, Miniſtros Chriſti pendere prorſus ab Electione populi, nec aliun-

aliunde authoritatem habere? Num hoc in Scripturâ sacrâ legit? Num in Praxi Ecclesiæ videt? Quod Christus, quod Apostoli, quod omnes Ecclesiæ fecere, nos facimus. Isti Fanatici quos habent Authores? Dices, *Diaconos septem primos elegit populus*. Elegit quidem, sed jussu Apostolorum. Et quid eorum erat Electio, nisi exhibitio testimonii quòd septem illi essent idonei tali officio? Quo tamen officio non investiebantur, nisi per impositionem Manuum Apostolicarum.

4. Observa iterum in Scholâ dici Ordinem Ordinati traduci ex Ordine Ordinantis ut simile à simili. Quod ego non intelligo; nec enim in Ordinatione ullam video Physicam actionem Ordinantis in animam ordinati, sed tantùm politicam. Nec ideo Episcopus cum Presbyteris dat Ordinem Presbyteratus, quia ii sunt omnes Presbyteri, sed quia Episcopus cum Presbyteris habet potestatem Ordinem Presbyteratus communicandi. Ut Rex non facit Baronem quia ipse est Baro, sed quia est Rex, *i. e*, Fons omnis Honoris. Dices, Episcopi dant Ordinem Episcopatus, quid ni Presbyteri Presbyteratus? Respondeo: Episcopus est supremi Ordinis in Ecclesiâ, itaque habet potestatem omnium Ordinum.

SECT. XV.

EPiscopos Presbyteros & Diaconos constat ordinatos fuisse ab Apostolis, in eorúmque manibus res Ecclesiæ relictas fuisse, hósque Ordines à principio ad hodiernum diem in Ecclesia perstitisse.

1. Si potest de ullo horum ambigi, de Presbyteratu ambigi potest. Satis enim probabiliter autumant nonnulli in primordio Ecclesiæ solos Diaconos sub Episcopis

fuiſſe, pòſt verò creſcente onere Presbyteros aſſumptos fuiſſe in partem curæ Epiſcopalis. Mihi verò probabilius videtur Presbyteros fere ſtatim ab initio ſub Apoſtolis fuiſſe, iiſque in certis diſtrictibus quibus adeſſe ipſi Apoſtoli non potuerunt, præpoſitos fuiſſe Epiſcopos, qui curam Apoſtolicam in ſuis ſinguli diſtrictibus ſuſciperent; Quippe Apoſtolos ſolos primò omnia peregiſſe, tum Diaconos in adminiculum aſſumpſiſſe, tum ad alios actus Presbyteros conſtituiſſe, tum Presbyteris & Diaconis præfeciſſe Epiſcopos; neceſſitate omnia inducente.

2. Omne autem Officium videtur eſſe in Ordine ad aliquem actum proprium, diſpiciamus ergo ad quos actus hi tres Ordines deſerviant. Diaconatus eſt poteſtas prædicandi baptizandi, Epiſcopo ſeu Presbytero in Euchariſtiâ celebrandâ aſſiſtendi, nec non poculum à Presbytero conſecratum Miniſtrandi, inviſendi etiam pauperes & ægrotos, eorúmque indigentiam Eccleſiæ oſtendendi, ut iis ſuccurrendi ratio ineatur. Presbyteratus ultra hæc quæ Diaconatus habet, dat poteſtatem conſecrandi & adminiſtrandi Sacramentum Euchariſtiæ, nec non Claves exercendi. Epiſcopatus his addit poteſtatem Ordinandi, Confirmandi, in Synodis præſidendi, atque adeò Eccleſiam commiſſam ſecundum Canones regendi. Jam apparet hos actus eſſe neceſſarios ad conſervationem Eccleſiæ; ergo & hi Ordines ſunt neceſſariò adhibendi in Eccleſiâ.

3. Calviniſtæ fateor non his omnibus Ordinibus diſtinctè utuntur; verùm quos rejiciunt, eos concedunt ante ipſos in Eccleſiâ univerſim viguiſſe. *Imò*, dicent, *iſta nomina in uſu fuere etiam tempore Apoſtolorum, at fortaſſe non eodem ſenſu quo nunc uſurpantur.* Cur ſuſpicaris? Ego cur non ſuſpicer, oſtendo. Hæ poteſtates fuere in Eccleſiâ tempore Apoſtolorum, nam & baptiza-

bant

bant & prædicabant, & Euchariſtiam celebrabant, & Presbyteros & Diaconos ordinabant, *&c.* *Imò*, dicent, *ſed num hæc Officia pertinuerunt ad diſtinctos Ordines ſicut nunc pertinent?* Pertinuiſſe putant omnes Eccleſiæ præſentes (ut loquamur quaſi Calvino coævi), nec ex Scripturâ ſacrâ, aut ſanctorum Patrum Commentariis quicquam in contrarium hauritur, ergo veriſimillimè pertinuerunt. Multa ſunt quæ ſuadeant, quod diſſuadeat nihil niſi inquietus Fanaticiſmus. Noſtra Eccleſia in multis diſſidet ab Eccleſiâ Romanâ, at nullibi ſine firmamento aut rationis aut Scripturæ ſacræ aut ſanctorum Patrum. Presbyteriani nihil horum opponunt Univerſalis Eccleſiæ praxi, ſed unum Calvinum etiam ſine Argumento omnibus præferunt. Verùm niſi demonſtrato quòd hæc aliter ſe nunc habeant quàm tempore Apoſtolorum, nihil eſſe mutandum omnes ſobrii judicabunt, ne fortè Conſtitutioni Apoſtolicæ; atque adeò Deo repugnemus.

4. *Quid de Papâ dicemus?* Eum non eſſe alterius Ordinis à cæteris Epiſcopis. Non certè quia eſt Petri Succeſſor; nam cæteris Apoſtolis tantum datum erat quantum Petro, nimirum abſoluta authoritas ſolvendi & ligandi. *Sed Petro hæc promiſit ſpeciatim.* Reſpondeo, Quia Chriſtus erat incepturus ædificationem Eccleſiæ ſuæ à Concione Petri, cui principio ſuas poſtea partes addere debebant cæteri Apoſtoli. Erat ergo Petrus primus Ordine omnium Apoſtolorum; nam omnis Multitudo ſine ordine eſt confuſio; de authoritate verò ejus in cæteros Apoſtolos non vel γρῦ legitur. Et hunc quidem Ordinis Primatum Epiſcopo Romano paſſim concedunt, & per omnia ſecula conceſſiſſe videntur. Quòd attinet ad hyperbolicam illam & infinitam potentiam quam ſibi Papa arrogat, ea à ſolis pene Jeſuitis agnoſcitur. Cæteri ejus ſequaces poteſtatem ſolùm

Canonicam ei jure deberi aiunt. Ob hanc autem usurpationem eum alieni plerique Tyrannum, permulti etiam Antichristum appellitant. Cæteri autem Patriarchæ & Archiepiscopi nullibi reputantur ab Episcopis Ordine discrepare, sed tantùm jurisdictione excellere, & eâ quidem Constitutionibus Ecclesiasticis nixâ.

5. *Num Rex est Ordinis Ecclesiastici?* Non quà Rex, nam & ante Christianismum multi erant Reges, & in multis Regnis Ecclesia Ordinibus complebatur, cùm adhuc Rex Christianus nullus esset. *Num est Rex Ecclesiasticus quà Rex Christianus?* Mihi non videtur; nam Religio Christiana est æqualis & eadem omnibus eam suscipientibus; ergo Regibus nihil addit quod non & subditis. Christiana Religio nihil mutat rerum hujus seculi, 1 *Cor.* 7. 17, 24. Itaque Christus dicit, *Regnum suum non esse hujus mundi*, Jo. 18. 33. quam Fidei professionem esse docet. S. Paulus, 1 *Tim.* 6. 14. Adeò absurdum est asserere, *in gratiâ fundari hujus seculi Dominium.*

6. *Cur apud nos dicitur Rex Caput Ecclesiæ?* Spectemus omnes Reges in uno Constantino Magno. Is adhuc infidelis erat Caput Imperii & omnium causarum Judex; intérque alia ei incubuit judicare an Doctrina Christiana sit admittenda. In eam ergo inquisivit, particulatim examinavit, omnia probavit & tandem Christianismum suscepit, & quidem quia Imperator tuendum. Christianismus autem duobus contineri videtur, Doctrinâ Christi & Constitutionibus Ecclesiæ. Doctrina Christi est Verbum Dei, atque adeò non variabilis per Ecclesiam, aut per Imperatorem aut per Angelum de Cœlo. Constitutiones autem Ecclesiæ antecedentes Christianismum Constantini Constantinus susceptione Christianismi confirmavit. *Sed quomodo condendi erant Canones de futuro?* Per Ecclesiam sicut antè, sed non fine

ne

ne confirmatione Conſtantini Approbavit quidem ille priores ſe conſtitutiones, quia vidit eas eſſe innocuas & ſibi & imperio. Permittere autem ut conſtitutiones Eccleſiaſticæ futuræ habeant vim legum ſine ſuâ ſanctione per Imperium non potuit. Primò, quia faceret damno ſuo; nam poterit Eccleſia ſubditos imperii obedientiâ ſolvere; & ſic Conſtantinus non imperaret niſi durante beneplacito Eccleſiæ, *i. e.* non imperaret ſed ſerviret. Conſtat autem neminem juris ſui aut naturalis aut civilis quicquam amittere ſuſcipiendo Chriſtianiſmum, ſicut etiam nihil ei addit. Secundò, Conſtantinus hoc permitteret damno Populi ſui, quem iis traderet à quibus fortaſſe malè tractandus foret. Ipſe accipiendo imperium in ſe ſuſcepit omnimodam curam de bono ſubditorum, ergo eos non debuit tradere iis de quorum curâ certus eſſe non potuit. Nec enim demonſtratum tum erat Eccleſiam non poſſe errare in Temporalibus. Nec refert ſi dicas, *improbabile eſſe quòd populus malè paſſurus ſit ab Eccleſiâ*; ſufficit quòd ſit poſſibile. *Major erat prudentia Eccleſiæ quàm Conſtantini.* Fortaſſe, ſed Populus prudentiæ Conſtantini fuit concreditus.

7. Erat ergo Conſtantinus tam caput fidelium quàm infidelium ſui imperii; nam & eos pariter tuebatur & per leges à ſe ſancitas regebat. Erat etiam judex in omnibus cauſis Eccleſiaſticis, quia omnes determinabantur per leges ejus. Nec enim leges dicendæ ſunt eorum qui meditabantur aut rogabant, ſed ejus qui vim indidit. Summatim, non erat Conſtantinus Ordinis Eccleſiaſtici, ſed facultatem dedit Eccleſiaſticis in ſuo imperio exercendi eam Poteſtatem quâ Chriſtus eos munivit. Peregit ut Temporalia per Ordines Temporales ſic Eccleſiaſtica per Ordines Eccleſiaſticos.

8. Conventus Ordinum Eccleſiaſticorum per totam

Eccle-

Ecclesiam dicitur Concilium Generale & Oecumenicum. Tale Concilium non est absolutè necessarium in Ecclesiâ; nam sensa Ecclesiarum possunt haberi per Tabellarios, operosiùs fortasse sed non minùs fideliter quàm in Concilio. Sic ut Ecclesia Ipsa sit perpetuum ac statum Concilium. Si etiam ante Constantinum tam multi Christiani convenissent, opportunum fecissent Persecutoribus capita omnium Ecclesiarum quasi uno ictu abscindere.

9. In declarandis Articulis Fidei Concilium Generale procedens per modum Testimonii & consensus omnium de Traditis videtur esse infallibile. Adeò enim impossibile est, ut omnes affirment id esse quòd omnes sciant non esse, ut nec unus possit mentiri in illâ formâ sine sibilo cæterorum. Si autem Concilium procedat per modum disceptationis, quantum ad naturam hominum potest decipi.

10. *Sed an non Spiritus Sanctus tuetur ab omni errore Concilium Generale, quod representat totam Ecclesiam?* Ita statuitur in Ecclesiâ Romanà. Sed quâ promissione Evangelicâ? *Christus dicit: Si duo aut tres convenerint in meo nomine, Ego ero in medio eorum.* Respondeo: Christus est in medio eorum qui stant ejus dictis, at non eorum qui suis ingeniis nituntur; nam hoc non est convenire in nomine Christi (nisi quoad vocem tantúm) sed in Nomine suo. Ac vide, quantulum differunt, qui petunt Religionem suam ab illuminationibus Spiritus Sancti, & qui eam eruunt è suis discursibus per Spiritum Sanctum ab errore defensis? *Sed Christus promisit quòd Spiritus Sanctus duceret Apostolos in omnem veritatem; ergo & Ecclesiam cum quâ Christus est usque ad finem Mundi.* Respondeo: Spiritus Sanctus duxit Apostolos & ducit Ecclesiam in omnem veritatem; sed non præstat utrumque eodem modo. Duxit Apostolos novis

vis illuminationibus, at ducit Ecclesiam per infallibilem Traditionem Doctrinæ Apostolicæ. Huic Doctrinæ traditæ si adhærescimus Spiritum Sanctum ducem habemus, ab eo autem fugimus in quantum nostrosmet sequimur discursus.

SECT. XVI.

Constitutis in Ecclesiâ Ordinibus ut personæ idoneæ semper præstò sint Evangelio propagando & tuendo, Apostoli eidem ulteriùs consuluere Doctrinam Evangelicam scriptis mandando. Eæ Scripturæ Sacræ nominantur, & peculiari nomine Novum Testamentum, quia continent Doctrinam Novi Fœderis expressè & clarè quam Vetus Testamentum solummodo adumbravit. Has Scripturas omnes Christiani habent ut Repositorium Theologiæ Christianæ, ut scriptas à Viris sanctis quibus adfuit Spiritus Sanctus eos ducens in omnem veritatem, atque adeò ut indubitatè veras & quæ sint ut Lydius lapis dogmatibus Theologicis.

1. De numero horum librorum convenit inter se omnibus Christianis. Quod attinet ad varias Lectiones, eæ tenentur non tangere substantiam hujus Religionis, nec afferre differentiam ullius ponderis.

2. In determinandis autem Controversiis per Textus sacros non parva lis est de interprete. Sacras Scripturas posse omnes in Christianismo lites solvere indubitatum est, quo verò judice genuinus eorum sensus habebitur? Num singulorum est pro seipsis exponere? Ego non puto ob Argumenta adducta in Inquisitione. Nam & Ecclesia in mille fragmenta descindetur, & Respublica sub specie Religionis vexabitur. Hoc posterius in dicto libello fusiusculè ostendi. Prius sic cogo. Scripturas unus-

unusquisque exponit secundum suum animum, *i: e:* prout ipse afficitur Ingenio, Moribus, Educatione, Studio; ergo pro diversitate Ingeniorum, Morum, Educationum, Studiorum & quarumcumque mentis præpossessionum diversæ erunt Expositiones sacrorum Textuum; & hoc quid est nisi Ecclesiam in fragmenta discindi? De facto, an non omnes Sectæ Christianismi Scripturam sacram sibi cuique propitiam esse ac propriam gloriantur? Atque ita necesse est esse. Quicquid enim recipitur, recipitur ad modum recipientis non minùs in Moralibus quàm in Naturalibus. Quantâ ergo diligentiâ Schismata vitanda sunt, tantâ est ea sententia reprimenda quæ omnibus Biblia sacra tradit, ut ab unoquoque suo usui exponantur.

3. Sed omnia, aiunt, quæ sunt necessaria ad salutem in Scripturâ sacrâ liquidò habentur; privata ergo ejus interpretatio tuta est unicuique Regula Fidei in necessariis quidem ad salutem; quæ verò obscura sunt ea ut non necessaria reputari debent. Atque hæc non diffiteor à viris doctis dici, & à valdè multis & ingeniosis cum plausu accipi; mihi certè non probantur. Nam primùm, habeo ex secundâ Epistola Sancti Petri, Scripturas sacras passim distorqueri ab indoctis & instabilibus in suum ipsorum exitium; ergo necessaria ad salutem non satis liquidò exhibentur in Scripturâ sacrâ in usum indoctorum & instabilium. Dices etiam necessaria ad salutem, nam in non necessariis impingere non esset exitiale. Jam si solùm doctos & stabiles admittis ad exponendum sibi Scripturas sacras, quàm paucis hominum consulis? Quàm innumores excludis ab Expositione privatâ Scripturarum sacrarum, quam tamen unicam statuis Fidei Christianæ Regulam? Quàm pauci sunt, dixi, docti & stabiles? Imò quis omnium se judicare debeat satis doctum & stabilem, ut huic operi par

pâr ſit? Diſtorquent, ait Apoſtolus, Scripturas ſacras indocti & inſtabiles in ſuum ipſorum exitium. Quàm periculoſum ergo eſt noſtriſmet Expoſitionibus adhæreſcere? ſi ſumus indocti & inſtabiles poſſumus diſtorquere Scripturas ſacras, & hæc diſtorſio nobis erit exitialis, ergo Scripturas ſacras unicuique tradere exponendas eſt miſeris animabus foveam objicere.

4. Iterum non ſatis eſt in facinorosâ Adami ſtirpe, omnia ad ſalutem neceſſaria liquidò haberi in Scripturis ſacris, ad hoc quidem ut eæ unicuique pro ſeipſo exponendæ tradantur. Nam cùm tota Scriptura ſit Verbum Dei, niſi omnes Textus ſint liquidi, relinquentur aliquot Textus interpretationibus indoctorum & nequam hominum ridiculis & pernicioſis; quod malum in his regnis plùs ſatis experti ſumus & experimur. Rem autem exemplo fusè poſui in inquiſitione.

5. Iterum, nihil videtur indignius Verbo Dei ſcripto, quàm ut proſtituatur Expoſitionibus cujuſque legentis fortaſſe etiam legere neſcientis. Quotus quiſque vulgi eſt cujus judicio res noſtras ad hanc vitam vel mediocre Momentum habentes libenter committeremus? Ergo res Chriſti ejúſque regni judicio cujúſque ſubjicere, an non eſt declarare nos ſúſque déque habere quid de Chriſtianiſmo eveniat? Illud verò non ferendum, quòd quidam in honorem Scripturarum ſacrarum eas nolunt ſubjicere Expoſitionibus Eccleſiæ quantumvis magnæ, ipſi tamen eas ſubjiciunt Expoſitionibus quantumvis indocti quantumvis ſcelerati lectoris.

6. Ergóne, dicetur, non permittentur lectioni vulgari Biblia ſacra? Ego verò permitti velim, modò Vulgus conſtanter edoceatur quanto cum periculo ſacrorum Textuum Expoſitionem in rebus dubiis ſibi arrogent. Ut verò viri docti in Concionibus & libris editis inculcent populo, quòd eorum ſit Scripturas ſa-

cras manibus terere, atque inde articulos Fidei suæ eruere, quis potest probare? Eâdem operâ jubent miseros insanire.

7. Oportet tum ostendere, dices, quomodo Scripturæ sacræ Evangelio perpetuando inserviant. Tradebantur, inquam, in Manus Ecclesiæ tanquam signa & memorialia Doctrinæ jam receptæ; non ut ex iis Articulos Fidei de integro eruant Christiani, sed ut eas legendo Doctrinam receptam recognoscant, & Mentibus penitiùs infixam retineant.

8. Demum, qui Textus clari sunt de necessariis ad salutem, hoc videntur habere non ex vi Phrasis (quæ in Materiis obscuris ambiguam interpretationem vix effugiat) sed ex unanimi consensu quo tenetur Doctrina in iis contenta, *i. e.* ideo non ambigitur de sensu horum Textuum, quia semper visi sunt præ se ferre Doctrinam de quâ nemo dubitavit. Unde etiam multoties in Ecclesiâ obvenit, ut subortis novis Dogmatibus multi Textus novas facies induerint & fuerint coacti novos sensus subire.

9. Atque hinc prospicere liceat effectum Christianismo perniciosum, si hoc semel irroboraverit in Ecclesiâ, quod sacra Scriptura nuda, *i.e.* sine concurrente testimonio Ecclesiæ tam evidenter proponat necessaria ad salutem, ut sit cuique interpretanti justa regula Fidei. Hinc enim eventurum est ut nihil videatur necessarium ad salutem, quod ab Hæresi aliquantisper prosperâ oppugnatum fuerit; Textus enim quondam clari nunc obductâ sophismatum caligine offuscantur. Itaque hoc semper urgent Socinianismo amiciores. *Quicquid est necessarium ad salutem, hoc bonus Deus, inquiunt, clarè exprimi curavit in Verbo suo; at Articuli de Mysterio Trinitatis minùs clarè ibi habentur.* Imò, inquam ego, ut mihi videtur clarissimè. *Quid*, regerunt illi, *num illi Textus clari sunt de quorum sententiâ tot viri docti li-*

litigant? Ecce ordo rerum. Fidem non habent huic Articulo, quia non est necessarius ad salutem; non est necessarius ad salutem, quia non habetur clarè in Scripturâ sacrâ; & hinc apparet quòd non habetur clarè in Scripturâ sacrâ, quòd de Textibus eò pertinentibus à multis doctis disputatur, *i.e.* si Diabolus potest Hæresin in Ecclesiâ excitare (& quod poterit præmoniti sumus) tum poterit efficere ut quod antea semper & ubique videbatur necessarium esse ad salutem, non dehinc ut tale videatur; quod est Religionem Christianam mutilare, & paulatim ad nihilum redigere.

SECT. XVII.

DE Mediis Visibilibus quæ Christus Ecclesiæ suæ perpetuandæ adhibet, dictum est. Eum invisibilia quoque Media duo promisisse comperio, auxilium Spiritus sancti & Providentiam Patris sui. Primò, testantibus omnibus Christianis, *Christus ad sustentandam Ecclesiam suam utitur ope Spiritus sancti, eâque duplici; nam & Mundum miraculis convincit, & corda piorum consolatur ac contra omnia inferni molimina confirmat.*

1. Dices: *Spiritus sanctus non omni ævo edit miracula.* Respondeo, Spiritus sanctus Miracula quæ per Apostolos egit jam facit; non quidem similia edendo, sed eadem notitiæ nostræ infallibiliter tradendo; adeò ut vis Miraculorum tum olim editorum sit in hominibus convincendis eadem nunc quæ fuit cùm primò ederentur.

2. Quòd verò Spiritus sanctus sit omnibus Christianis immediatus Doctor Doctrinæ Christianæ prorsus abhorret à Fide Catholicâ, quâ Doctrinam ab Apostolis traditam obnixè tenere jubemur, eorúmque Doctri-

nâ Universam niti Christi Ecclesiam profiteri cogimur.

3. *Imò*, dices, *profitemur Doctrinam Apostolicam, hancque auribus haurimus à Pastoribus Ecclesiæ, sed quæ solo instinctu Spiritus sancti animis imprimitur.* Quæso, si solo instinctu Spiritus sancti, quid opus est Prædicatione humanâ quam tamen Christus instituit? Si nulli usui est, frustra est, quod de Operibus Dei dicere est impium. Iterum, si frustra prædicatur Evangelium, soloque instinctu Spiritus illuminamur, tum nemo suâ culpâ Evangelium rejicit, contra Dictum Domini: *Hæc est condemnatio quòd lux venit in Mundum, & homines diligunt tenebras magis quàm lucem.* Nemo enim potest instinctum Spiritus sibi attrahere aut ullo modo conciliare. Quid ergo? *An non Spiritus sanctus est Author Conversionis peccatorum?* Omnino, & instrumentum ejus est Prædicatio humana, Sacramenta, &c. Illuminatio S. Petri & S. Pauli, & sine dubio multorum aliorum præstita fuit sine ullo Medio externo per absolutam Creationem luminis. Sed hæc sunt Miracula; si verò Spiritus sanctus Conversionem omnium peccatorum efficeret sic, omnia Media Gratiæ redderentur inutilia, omnes Reprobi excusabiles.

4. Observandum etiam est, quòd cùm Dominus oraret pro omnibus suis, totum eorum numerum divisit in duas Classes, scilicet in Apostolos & in alios qui per Prædicationem Apostolorum credituri essent, *Jo.* 17. 20. Quo nihil minus significari potest, quàm Spiritui sancto immediatè operanti non sic tradi Ecclesiam ut Fanatici somniant; sed eam ad finem conservatum iri per Prædicationem Apostolorum, *i. e.* per eos Prædicatores qui constitutione nituntur Apostolicâ, quibúsque concursum suum constanter præstat Spiritus sanctus.

SECT.

SECT. XVIII.

POstremò, omnes Christiani testantur, *Christum promisisse Ecclesiæ suæ, se ei semper affore per providentiam Patris sui, qui sic omnia moderabitur ut portæ Gehennæ non sint prævalituræ.*

1. Vides Media tria superiora perpetuandæ Ecclesiæ conducere, firmamentum verò omnium esse hoc ultimum. Nam quòd Ordines Ecclesiæ non dissolvantur, quódque sacræ Scripturæ non comburantur, Providentiæ Divinæ est quæ cohibet frangítque Malorum impetus. Spiritus sanctus etiam piis in Officio fungendo constanter fert opem; sed Providentiæ Divinæ est, quòd sint pii impiorum odiis superstites, quibus Spiritus sanctus opem ferat.



SECT. XIX.

POsthæc consentiunt omnes Christiani, *Purissimam hanc Doctrinam multoties & in multis Professoribus, erroribus interrepentibus aspergi; Satanâ scilicet interserente tritico Zizania, eique hæc affigere conante, & Commenta sua tanquam dicta Domini proponi satagente.*

1. Hujus mali tractari deberent causæ & remedia. Ac Diabolum quidem causam primam extitisse, & esse omnium humani generis Malorum, Christiani omnes consentiunt; hujus Ministras esse superbiam, instabilitatem, & ignorantiam hominum qui principiis suis terrenis Cœlestia metiuntur, & Scripturas sacras distorquent in sui aliorúmque perniciem.

2. *Sed cur superbiam nominavi?* Quid superbius quàm

quàm ut instabiles & indocti homunciones se ponant in Tribunali Christi, judicéntque quæ Doctrinæ sint verè Christianæ, quæ non? Adde quòd multi homines astuti, famæ & Magni Nominis gratiâ multa fingunt, & per Captiones suas Brutis populi animis instillant. Nonnulli etiam pias fraudes admiscuere, fortasse zelo in bonum non bono, multò sæpiùs ad Dominationem in animos hominum conciliandam. Hinc fictæ Historiæ, ficta Miracula, quibus imperita ingenia capta, se suáque tantorum Prodigiorum quasi Dominis committunt. Quin hæc mala attribuit Christus non solùm Diaboli hominúmque malitiæ, sed etiam negligentiæ bonorum Christianorum. Dum dormiêrunt, inquit, homines inimicus Zizania interserit tritico. Interea, an hæc corruptela possit totam, aut quasi totam visibilem Ecclesiam fœdare, acerrimè disputatur.

SECT. XX.

Nihilominus convenit inter Christianos, hanc Doctrinam etiam multis Erroribus fœdatam fore salvificam. Scilicet, superstructiones comburendas esse, homines verò salvandos; atque adeò hæreticis Damnationem imminere non ex deceptione, sed ex superbiâ & contumaciâ.

Agendum hîc esset de Reformatione quæ est Medela Morborum Ecclesiæ; & de eâ jure quæreretur, an sit necessaria & quando? Tum, penes quos sit jus Reformandi? Postremò, in reformando quâ regulâ utendum sit. Sed cùm de his omnibus valde malè conveniat inter Christianos. non est ut de iis disputatio me Theologiam omnium Christianorum consensu Christianam pollicitum moretur.

Jámque

Jámque de iis quadantenus disserui quæ Theologia Christiana pronunciat de seipsâ & de Ecclesiâ per eam constitutâ, fortasse nimio cum studio brevitatis pro tantæ molis materiâ; sed meminerint Lectores, me hæc adferre non ut alios non legant, sed ut legant sine noxâ. Quid de aliis suis objectis proferat hæc Theologia, restat dicendum. Atque hæc quidem omnia in duas Classes repono; alia enim ab hâc Theologiâ supponuntur & comprobantur, alia de integro eduntur. Sit ergo hujus Summæ

TERTIA PARS.

De iis quæ Theologia Christiana supponit & comprobat.

SECT. I.

IMprîmis Theologia Christiana supponit rectum usum rationis in homine, eúmque in omni re comprobat & exigit.

Religio Christiana exigit rectum usum rationis, & in se capessendâ exercendâque (ut 2. *p.* §. 2.) & in omnibus vitæ humanæ partibus, stultitiam & errorem ubique ut morbum animi damnans.

SECT.

SECT. II.

Atque adeò ab omnibus Christianis Philosophia & probatur & pro facultate adhibetur.

Nam Philosophia nihil est nisi ratio Doctrinâ & Meditatione aucta. Nec Apostolus Philosophiam aliter condemnat quàm si vana sit & mendax, *i. e.* nomen Philosophiæ falsò assumat. Constat etiam, apud Josephum per Philosophiam denotari Sectam Judaicam. Interea non est diffitendum nonnullos Philosophantium præsertim τῶν φυσικῶν (*quo genere*, inquit Cicero, *nihil arrogantius*) & fuisse & esse Christianismi hostes. Vitium hominum non Doctrinæ; nam plerósque eorum qui Philosophiam maximè callent, Religioni Christianæ amicissimos videas. Nec mirum est si in stirpe Adami inveniantur nonnulli, etiam inter Philosophos, qui contra Deum ipsum turgescant. Tumefacti scilicet speculationibus suis & plebem hominum ut Naturæ ignaram contemnunt, & Religionem quidem quía ejus etiam Plebem capacem vident. Sed quàm multa incognita pro cognitis habent & vento Opinionum inflantur loco scientiæ rerum? Hi tamen Gigantes adhuc disputandum reliquerunt, sciatúrne aliquid in naturâ, necne. Tamen.

SECT.

SECT. III.

PHilosophiam etiam speculativam Christiani exercent; Metaphysicam dico & Physicam.

1. Deum esse, esse Unum, Vivum, Omnipotentem, Omniscium, Æternum, Optimum, Infinitum, *&c.* Et docent Christiani Philosophi, & Argumentis à ratione petitis demonstrant, cognoscique lumine Naturæ feliciter contendunt. Idem censent de Operationibus Dèi ad extra quæ sunt Creatio, Conservatio & Concursus; idem de immaterialitate & immortalitate Animæ humanæ. De quibus omnibus tractare Metaphysicorum est, ad quos Lectorem remitto. Cùm verò in his ingens illustratio lumini Naturæ accesserit ex patefactionibus Divinis (& accessisse liquidissimum est) Metaphysicorum Christianorum erit rationibus lumine naturali præbitis testimonia è sacrâ Scripturâ, ubi opus erit, adjungere, ne legentes hæc ut prorsus Philosophica libertati suæ permissa putent. Hobbeus hoc præstitit in Moralibus, quàm pio tamen consilio id fecerit, non satis comperio.

2. Physicam excolunt Christiani duplici præcipuè bono: Primò, quia pleræque contemplationes Naturæ ad Praxin humanæ vitæ utilem dirigunt; tum maximè ut consideratione creaturarum mens humana excitetur ad Deum Authorem gratiis & admiratione colendum. Studere autem Philosophiæ quæstus aut nominis causâ non est Christiani sed Artificis.

SECT. IV.

Dissertissimè autem Philosophia practica seu moralis commendatur à Theologiâ Christianâ; Ethicam dico Oeconomicam & Politicam.

1. Nam Theologia Christiana omnem virtutem suis imperat, omne vitium prohibet, declarátque cognitionem exercitiúmqne Mysteriorum Christianismi nulli usui iis fore qui Præcepta Naturæ non servaverint.

2. Nec tamen explicat hæc Theologia naturam virtutum & vitiorum, nec circumstantias sistit actionum humanarum per quas earum indifferentia tollatur; sed alterum præcognitum supponit lumine Naturæ, alterum Prudentiæ humanæ alligat. Summa Philosophiæ Moralis est, secundum rationem agere, nec quicquam ulterius exigit Theologia Christiana. Ponam exemplum unum aut alterum superioris Theorematis.

SECT. V.

Obedientiam Magistratibus præstarî, summâ cum sedulitate mandat Doctrina Christi.

1. Nulla quidem est Christianitatis Regio quæ non hanc prædicat ut Doctrinam Christi; apparet tamen ex Argumentis quibus eam Christus & Apostoli muniêrunt quòd ea supponitur potiùs quàm edocetur. Date Cæsari quod Cæsaris est, *i. e.* Date quia est justum. Sic S. Paulus: Date suum cuíque, tributum cui tributum debetur, *&c.* Supponit certè Dominus, subditos Magistratibus lege Naturæ obstrictos esse; & virtutem hanc

hanc obedientiæ ideo tam inculcat, ne Discipuli quibus libertatem promiserat, putent se à Regimine civili liberos fore.

2. Atque hinc sequitur, non determinari in Evangelio quanta obedientia debeatur Magistratui. Id solùm edicitur ut omnes Christiani justè se gerant erga omnes, ac inprimis erga Magistratus, *i. e.* tantum iis obsequium præbeant, quantum ad eos jure pertinet. Id autem quantum sit ex principiis rationis naturalis, & ex legibus Patriæ cognoscendum est. Ponam Exemplum contra Hobbeum qui sceleratam induxit obedientiam. Non licet, inquam, Deum contumeliâ afficere ex Mandato Principis; quia Natura jubet Deum colere. *Coles*, inquit, *corde tenus; sed ore violabis ex mandato ejus cui omnimodam debes obedientiam.* Insto: Do Cæsari quæ Cæsaris sunt; non est autem Cæsaris imperare id quod non possum præstare sine peccato; & ubi non est officium ejus imperare, non est meum obsequi. *Sed peccatum erit imperantis.* Imò & obsequentis. *Sed tu ei permisisti judicium boni & mali.* Imò quantum ad præmia externa & pœnas externas, itaque etiam ei in impio decreto exequendo non resistam.

3. Sequitur ulteriùs Christianos rebelles non solùm deficere à Magistratu Civili, sed etiam à Christo ipso qui & omnem improbitatem damnat & disertissimè hanc inobedientiam erga Principes. Quid dicam de armis susceptis contra Magistratum etiam Christianæ Religionis ergo? Dico nihil eo esse magis Antichristianum, sive Christi vitam mortémque spectes ubi omnia potens omnia passus est, sive Doctrinam quæ injuriis inferendis adeò non indulget, ut etiam patientibus injurias compensationem cœlestem proponat. Sit alterum exemplum connubium. Nam

SECT. VI.

Connubia etiam, & Ethnicorum & Judæorum comprobavit Religio Christiana. Aliqua tamen addunt Christiani; affirmant enim Fœminam è costâ viri per Deum desumptâ primitus factam fuisse, ac proinde uxorem cum viro unam esse carnem, divortiúmque vix posse fieri in solidum, nec separationem quidem perpetuam à thoro & mensâ nisi causâ adulterii.

SECT. VII.

Ulteriùs apud Christianos Matrimonium est sacrum, quatenus est Symbolum Unionis Christi cum Ecclesiâ. Itaque vix licere putant fideli cum infideli connubio jungi, aut certè non debere fieri nisi gravissimis de causis. Ubi tamen ante Baptismum Matrimonium contractum erat, fidelis non potest à consorte infideli discedere. Jam vitia opposita Matrimonio ut adulterium & incestus in Philosophiâ tractanda sunt, nec enim de iis quicquam habet peculiare Theologia Christiana.

SECT. VIII.

Ultra ea quæ rationi naturali obversantur Theologia Christiana supponit veritatem historicam Veteris Testamenti. Vetus autem Testamentum consulitur ex Pentateucho & cæteris Librss prout apud Nostrates vulgò in manibus habentur. Hos omnes nonsolùm Judæi, sed etiam Christiani ad amussim defendunt; & ope Spiritus

sancti à viris sanctis conscriptos fuisse contendunt, adeóque indisputabiles esse.

1. Litigatur de Libris quibusdam qui vocantur Apocryphi; quorum pleró sque recipit Ecclesia Romana ut Canonicos; nostras Ecclesia tantùm ut utiles adhibet, divinitus verò datas fuisse minimè agnoscit; nec enim sic traditum est.

2. Nominantur etiam aliquot Libri in Veteri Testamento qui jam non habentur, & qui sine dubio periêre. Nec itaque hoc dicunt, Christiani, has esse omnes quæ unquam fuerunt Scripturas sacras Veteris Testamenti, sed solùm has quæ habentur esse veras & legitimas.

3. Variæ Lectiones magis turbant Novum Testamentum quàm Vetus. De iis nonnihil dictum est in 2. *p.* Addo, non sine ratione de his dici quod de libris amissis dicitur. Deus non conservavit omnes libros authoritate suâ editos; quos conservavit, hi sunt verba Dei. Similiter, Deus non conservavit indubitatas omnes partes horum qui restant librorum, quæ verò sunt indubitatæ partes horum librorum sunt indubitatè verba Dei. Ubi turbas varia Lectio creavit, ibi sistendum est nec temere judicandum quæ sit vera, ne fortasse veram abjiciamus & notham amplectamur.

4. Ex hac autem disceptatione exurgit difficultas non mediocris. Sunt multæ variæ Lectiones, harum omnes unâ exceptâ sunt mendosæ. Iterum fortasse sunt multæ variæ Lectiones quæ nobis non apparent, fortasse multæ periêre, & inter illas fortasse intercidit genuina, unde sequitur posse usu venire ut menda irrepserint in partes Scripturæ sacræ indubitatas; nam omnis ejus pars est indubitata in quâ nulla est varietas Lectionis. Cúmque aliquot integris libris non fuerit ab interitu cautum, non apparet unde sit tanta permanentium librorum immunitas, ut nullam omnino ne in circum-

ſtantialibus quidem corruptionem pati potuiſſent. Adducitur etiam Veteris Teſtamenti longævitas; aſſeritur illud habuiſſe ſolam Gentem Judæorum ejus ſaluti caventem, omnes autem alias Gentes ejus perniciei ſtudentes. Multæ etiam memorantur Judæorum conturbationes & quidem oppreſſiones uſque ad linguæ vernaculæ commutationem. Deinde certum eſt Verſionem à 70. factam Canonicam habitam fuiſſe temporibus Domini & Apoſtolorum diúque poſt; ea tamen in multis differt ab Hebræo Textu; Hebræus ergo Textus & Verſio τῶν 70. ut variæ Lectiones reputandæ ſunt.

5. Multa his ſimilia apud Authores & malevolos & benevolos invenias. Ego mihi has poſui Regulas. 1. Deum pro bonitate quâ ſcribi ſacra curavit, curaturum etiam ut ea ſcripta ſalva perſiſtant quoad ſubſtantiam, *i.e.* quod ad eorum finem ſatis eſſet. 2. Ubi ſuggeritur corruptionis ſuſpicio, ſuſtineo me; & ſi difficile eſt credere hoc eſſe Verbum Dei, tamen quia Verbo Dei inſertum eſt nihil contra diſputo.

6. Poſt hæc, compertum eſt omnes Textus de quorum authoritate dubitatur verſari in circumſtantiis, & quaſi veſtitu Religionis. Eſſentialia enim Religioni Chriſtianæ non ſolùm verbis Scripturæ ſacræ continentur, ſed etiam in animis fidelium omnium conſervantur; & traditione orali ac practicâ devehuntur. Quæ verò ſunt minùs eſſentialia Religioni non reponuntur, niſi in Scripturis & quorundam doctorum animis quorum traditio adverſus mendas irrepentes non ſatis habeat tutaminis, *i. e.* Textus ſpectantes ad eſſentialia Religionis à valde multis curantur, non niſi à paucis ii qui ſpectant ad accidentalia.

7. *Sed num eſt de fide noſtrâ, Pentateuchum eſſe* Ἀυτόγραφον *Moſis?* Videtur eſſe ſenſus Chriſtianorum communis Moſem ſcriptam reliquiſſe ſaltem ſubſtantiam horum

rum librorum. Sed multa suadent Authorem Mose longè juniorem commentationes suas interseruisse, manúmque ultimam apposuisse. Hîc enim edicitur de Morte Mosis & Israelitarum luctu, &c. quorum observator & Collector nimis diligens est Tractator Theologico-politicus. Per quæ tamen nihil derogatur veritati Pentateuchi; cùm eos libros in Canonem reposuerint Christiani, non quia noverint eos à Mose scriptos fuisse, sed quia ab Ecclesiâ Judaicâ approbatos viderent. Librorum enim Ruth, Jobi, &c. prorsus nescimus Authores, eos tamen pari hospitio excipimus cum Pentateucho.

8. Demum, an quatuor prima Capita Geneseos, prorsùs ad literam exponenda sint, seu potiùs allegoricæ in plerísque admitti debeant, inter doctos non ita convenit. Ambigitur, an liber Job sit parabola, vel Historia. Canticum Canticorum totum allegoricum agnoscitur, ut millia in Psalmis & Prophetiis. In tantâ vetustate non est ut clarè videamus.

SECT. IX.

Historiæ Veteris Testamenti tres tantúm periodos, eásque paucis considerabo; creationem Mundi, lapsum primorum Parentum, & electionem Populi Israelitici. Ab his enim multa in Christianismo aut dependent, aut certè illustrantur. Creationis Mosaicæ consideremus tempus & formam. Quod ad tempus Creationis attinet.

Christiani non dubitant Adamum fuisse primum hominem, ex eóque & Evâ omne humanum genus oriundum esse, Mundúmque exordium habuisse prout statuitur, 1 cap. *Genes.*

1. Mundum habuisse initium Philosophorum longè maximi tenuere, ut patet per Aristotelem in acroamaticis. De *tempore* quidem dicit ille Philosophus, μόνος Πλάτων γεννᾷ. Epicurei Aristotele posteriores posuere *atomos æternos, Mundum ex eorum fortuito concursu in tempore natum fuisse.* Philosophia ergo disputat Mundum habuisse initium, eum habuisse initium hoc stato tempore ex infallibili Scripturâ affirmant & Judæi & Christiani. Et quid contrà adfertur?

2. *Adamus quidem* (inquit Pater Præadamitarum) *creabatur ut habemus in Genesi, & erat Pater Incolarum Palæstinæ, at multò ante ipsum fuerunt homines. Nam scribitur* Gen. 6. *Filios Dei introiisse ad filias hominum*, i. e. *Adamitas ad præ-Adamitidas.* Verùm liquet hîc per filias hominum intelligi filias Adamitarum: dicitur enim *v.* 1. Cùm homines inciperent crescere in terrâ, & filiæ iis natæ essent, filii videntes quòd essent pulchræ, &c. Vel per hunc Authorem non Præ-Adamitæ sed Adamitæ jam inceperunt crescere, ergo filiæ hominum erant filiæ Adamitarum. *Sed qui erant hi filii Dei?* Mihi probabile videtur, per filios Dei hîc intelligi Raptores, qui viribus freti omnia ex libidine egere. Sic autem appellantur non ob ista vitia, sed aut ob magna corpora aut ob magnam potentiam Imperii, unde etiam dicuntur Gigantes. Patet enim multa ad Deum referri in Veteri Testamento ob extraordinariam, aut magnitudinem, aut vim; ut Mons Dei, Cedri Dei, Urbs Dei de Ninive.

3. Imò, ratione redditur maximè probabile, Mundum hoc tempore initium cœpisse. Reputa enim quàm serò partes permagnæ orbis hominibus sitæ essent. Græcia parvis momentis nota fuit ante Bellum Trojanum. Homeri ævo Sicilia & Italia putabantur Gigantum Terræ. Vinum multò post in Galliâ non nascebatur. Britannia &

& Hybernia etiam Cæsaris ævo sylvis pene totæ incolebantur. India Occidentalis duo tantùm Imperia ostendit Hispanis, & ea penè noviter incepta. Per orbem multò diutiùs cultum qui claruerunt bello (extra scripta sacra) ante Bellum Thebanum, & Funera Trojæ? Ægyptiorum Dynastias quis Veterum non risit? Quis non Arcadas vetustiores Lunâ? Jam Artes quàm serò inventæ! Quid vis? Homines multa secula ante Adamum fuisse, sed nullas Artes invenisse, Bellis non claruisse, terras aliquas prægrandes non nisi valde serò occupâsse. Non homines sed stipites narras. Quis contenderet de longâ prosapiâ nullo facto clarâ?

SECT. X.

Formam etiam Creationis Mundi Mosaicam indubitanter agnoscunt Christiani.

1. Multi quidem multa in principio Genesis allegoricè exponenda censent. In aliquibus partibus an ita se habeat necne, haud scio. Sed res scribitur quasi planâ narratione; & Textum in Allegoriam trahere est in multos, *i.e.* nullum certum sensum tradere. Nam si unus unam allegoriam invenit, alius aliam inveniet, centenas centum.

2. Interea, cur pudeat Philosophiæ Mosaicæ in tradendâ Methodo Creationis Mundi? Si ibi tradidisset Doctrinam de Vorticibus, num acciperetis? Si induxisset atomos hamatos, uncinatos, & sine causâ se deflectentes, non rideretis? *Deus*, dices, *fecit lucem & diem ante Solem*. Quid ni? Hoc nihil sonat nisi Deum esse majorem Naturâ, & res aliter administrâsse in creando Mundum, quàm in Mundo creato. Ecce, integra Ecclesia Christiana hanc Scripturam amplexa est ut

Verbum Dei; Deus Christianorum fidem multis Miraculis confirmavit. Nullus Philosophorum hypothesin suam de initio Mundi demonstrâsse censetur. Imò, quòd de atomis Domocriti dicit Cicero (*Quæst. Acad. l.* 4.) id liceat de singulis aliorum Dogmatibus dicere, scilicet quòd sint somnia Philosophi non docentis sed optantis. Nos pro Hypothesi Mosaicâ adducimus testem (per omnes Christianos) Deum. Non debes à tantâ authoritate discedere, certè sine evidenti demonstratione.

SECT. XI.

LApsum primorum Parentum consideranti incumbit dispicere, quis fuerit eorum status innocentium, quod labentium peccatum, & quæ mala peccatum illud sunt sequuta. Quod ad primum attinet, Christiani credunt *omne creatum fuisse bonum (nec enim aliud ab Optimo & Potentissimo Opifice potuisse procedere), eminentiori modo Adamum, utpote qui creatus fuerit ad imaginem Dei, ejusdem quidem Naturæ nobiscum, sed tam rectè dispositæ, ut officio suo peragendo habilis & promptus fuerit. Officium etiam ejus fuisse (ultra legem moralem), ad amussim observare legem Dei positivam quâ vetabatur sub pœnâ mortis comedere fructum arboris in medio horti; Postrcmò Adamum, si stetisset rectus, vitam fuisse conservandam virtute ligni vitæ.*

1. Quid autem est imago? Est simile alicui secundum speciem, & ex eo expressum. *Aqui.* 1. *p. q.* 94. Ovum ovo simile est, tamen non dicitur imago ejus, quia non ex eo processit. Irrationalia processerunt è Deo, & sunt ei similia in rationibus genericis, quatenus scilicet sint & vivant, impropriè tamen dicerentur facta ad ima-

imaginem Dei ob defectum intelligentiæ, qui eſt iis ſpecificus. Pleríque ergo ſtatuunt hanc Dei imaginem in Adamo fuiſſe animam rationalem; alii libentiùs dicunt hanc imaginem fuiſſe rectitudinem & ſanctitatem animæ Adami; ac utrumque ſatis commodè videtur dici.

2. In quo verò ſtetit rectitudo Adami? Reſpondet Aquinas ubi ſupra, *Adamum rectum fuiſſe factum in hoc quòd ratio ejus ſubderetur Deo, & vires inferiores rationi.* Unde colligit *primum hominem non impeditum in intelligendo ab inferioribus multò clariùs cognoviſſe Deum, & alia quàm nos cognoſcamus. Imò, eum omnia ſciviſſe quæ continentur in primis notionibus.* Hæc mihi non videntur ſequi. Nam imprimis, Adami ratio impediebatur ab inferioribus potentiis naturaliter, licèt non morbosè. Sic enim communiter philoſophamur: animam rationalem eſſe in corpore tanquam in Ergaſtulo, & in rebus cognoſcendis alligari ſpeculationi phantaſmatum, multò liberiorem futuram in ſtatu ſeparationis à corpore. Non ergo ex hoc quòd ratio Adami non impediebatur morbosè, non ex hoc, inquam, ſequitur eum ſtatim res meliùs quàm nos cognoviſſe, ſed ſequitur quod meliùs cogniturus erat; ad quod tamen multum & Meditationis & temporis videtur jam tum fuiſſe neceſſarium.

3. Aquinas videtur præoccupâſſe ſolutionem hujus objectionis, dicendo, *hanc extraordinariam Adami cognitionem fuiſſe non per ſpecies acquiſitas ſed infuſas.* At nihil de hoc habet Scriptura ſacra, quo ergo ratiocinio hoc dicit? *Quia Adamus creatus erat ut ſit principium humani generis non ſolùm generandi ſed etiam inſtituendi. Sed ad inſtitutionem aliorum tam requiritur ſcientia perfecta, quàm ad generationem vis corporis perfecta.* Poteſt verò dici, Adamum ſine inſtantaneâ Artium infuſione

one potuisse scientiam acquirere satis in tempore ad instituendam prolem nondum genitam. Præterea, si Adamus stetisset integer, proles ejus nascitura erat cum integrâ sanctitate, rationémque haberet non impeditam, adeóque nec institutione indigentem. Sed hæc utcunque se habuerint, certum est Adamum sat cognitionis habuisse ad defungendum officio suo, nec sine suâ culpâ potuisse decipi. Alioqui enim Deus statueretur Author omnium Humani Generis malorum. Dices, *Eva decepta fuit.* Respondeo, Non in statu innocentiæ, nam elatio animi quâ cupivit scientiam Divinam præcessit deceptionem.

4. Non dicitur in sacrâ Scripturâ quòd Adamus creatus esset ad immortalitatem; cùm tamen Mors statuatur peccati stipendium, videtur innui Adamum innocentem fuisse immortalem; non quidem impassibilitate naturæ suæ, ejusdem enim erat nobiscum, nutritione egens & impetuosis externorum actionibus obnoxius, quippe qui mollior esset quàm arbores, saxa, dentes & cornua ferocium animalium. In omnibus autem quæ non sunt expresse de fide, secundum ordinem Naturæ disserendum est. *Unde ergo sortitus est immortalitatem Adamus?* Videtur tutus fuisse à decrementis internis edendo identidem de arbore, Vitæ à vi externâ per rationem suam & Providentiam Divinam. Quæ satis est tetigisse.

SECT.

SECT. XII.

CRedunt omnes Christiani primum primorum Parentum peccatum fuisse esum fructus vetiti.

Cùm peccatum sit transgressio Legis constat formale omnis peccati esse inobedientiam. Materiale autem primi hominum peccati videtur incepisse per elationem animi, quâ cupiêrunt primi Parentes fieri similes Deo in cognitione boni & mali. Tum consummationem habuit hoc peccatum in edendo, seu in proposito edendi fructum vetitum. Prior pars erat transgressio Legis Naturæ, posterior pars erat transgressio Legis positivæ.

SECT. XIII.

MAla consequentia primi peccati statuuntur à Christianis, denudatio animæ per ablationem gratiæ quâ originalit r muniebantur primi Parentes, tum ejectio è Paradiso quâ significabatur, eos dehinc mortales fore & vitam cum labore & periculis peracturos, tum etiam reatus obligans ad mortem æternam. Hæc sibi primi Parentes attraxerant peccando, nobis etiam pœnales quos in peccato originali genuerunt.

1. Formale peccati Originalis ponitur in Scholâ defectus Originalis justitiæ quâ voluntas subdebatur Deo; Materiale ejus ponitur concupiscentia seu inordinata inferiorum facultatum conversio ad bonum commutabile. Dicunt etiam, peccatum non dici univocè de peccato actuali & originali, sed priùs de actuali, & per analogiam de originali; quasi dicerent, peccatum originale

nale in posteris Adami esse minùs peccatum quàm actuale.

2. De traductione hujus peccati difficilis est, nec valdè utilis Disputatio, itaque impræsentiarum ei non immorabor. Interea, statuitur hoc peccatum esse æqualiter in omnibus secundum naturam ab Adamo ortis, esséque fontem omnium malorum quæ iis contingunt; hinc quippe peccata actualia emanant, & consequenter omne malum. Imò nonnulli affirmant *tam malignam esse hujus corruptelæ vim, ut ad nihil boni sed ad omne malum omnis homo per naturam propendeat.* Mihi videtur magis cum ratione dici ab aliis, quòd inclinatio in bonum multum in nobis detrimenti acceperit ex peccato originali, non autem fuisse ablatam, quia radicem habet in ratione quæ non est prorsus pessundata. Hæc autem inclinatio debilis in bonum an placeat Deo necne, est alia quæstio.

3. Quod ad mortem attinet æternam, alii peccatum originale puniunt solâ pœnâ damni, unde limbus infantium non baptizatorum; alii idem puniunt Gehennâ; quod quid est nisi penè totum humanum genus æternis cruciatibus devovere? Quid est nisi infantes personaliter innocentes noxiis parentibus miseriores decernere?

4. *Quid*, dicet aliquis, *túne limbum infantium mâvis?* Certè quàm Gehennam, utpote mitiorem carcerem. Multò autem mihi verisimillimum videtur, omnes personaliter innocentes in gradum quendam felicitatis admitti, reatúmque peccati originalis à toto humano genere Christi sanguine fuisse ablutum. Quomodo enim potest intelligi, secundum Adamum scilicet Dominum de Cœlo minùs valuisse in restituendo humano genere, quàm in eo perdendo primum? Dices, *Constat Christum non reddidisse Paradisum.* Respondeo:

Si

Si Christus statum invexit meliorem, non tenebatur restituere eundem. Non restituit Christus Paradisum terrestrem, sed præparavit Cœlestem eúmque non amissibilem. Dices: *Christus nos non munit tam celsis gratiis quàm eæ fuerunt, quas Adamus peccando amisit.* Primò, unde hoc constat? *Quod tam proclives simus ad peccandum?* Certè Adamus videtur valde citò peccâsse. Sed si non tantas nobis concessit Deus gratias, unâ tamen nos ditavit omnibus Adamicis fortiore scilicet pœnitentiâ, cui in Adamo nullus fuit locus quantum ad primum peccatum; nam nondum promissus erat Christus; pœnitentia autem nostra non valet, nisi virtute Meritorum Christi.

5. *Sed an non sumus naturâ filii iræ?* Respondent nonnulli, quòd sumus naturâ filii iræ minoris quæ denegat nobis Cœlum, terram etiam gravem reddit, non verò majoris quæ torquet in æternum. Ego respondeo, quòd sumus filii iræ naturâ, sed ob Meritum Christi absolvimur. Nascimur in peccato, sed cujus reatum Christus sustulit. *Quid igitur necesse est baptizari infantes in remissionem peccatorum?* Dicetur suo loco.

6. Cùm Mors sit stipendium peccati, dissertationi de primo peccato justa est appendix, dissertatio de Morte. Ejus Historiam me memini fusiùs ante aliquot annos concinnâsse in Funere Doctissimi mihíque amicissimi Georgii Rust Episcopi Dromorensis; nunc tantùm delineabo. Tragœdia ergo Mortis quinque constat actibus. Primo actu concipit hunc fœtum ipsa humana constitutio ex Elementis sibi invicem repugnantibus, &c. Et adhuc Mors est homini naturalis. Eam secundo actu exclusit Dei specialis gratia hominem in Paradiso unà cum ligno vitæ sistens. Tertio actu, Adamus peccando revocavit Mortem. Quarto actu, Christus Mortem vincit & ligat per suammet Mortem resurrectionem,

nem,

nem, &c. Quinto actu, per Resurrectionem Mortuorum Mors enecabitur & sepelietur; cùm enim omnes Mortui revixerint, sola Mors in sepulchro erit.

SECT. XIV.

CHristiani credunt Gentem Israeliticam fuisse peculiarem Dei Populum, electamque fuisse non solùm ad bona temporalia, sed si legem servaverint etiam ad vitam æternam. Eis concredita fuisse Dei oracula, eósque à lege datâ ad Christum unicam fuisse Dei Ecclesiam in terris, nec ulli alii Genti media salutis æternæ concessa fuisse.

1. Tractatus Theologico-politicus asserit Electionem Populi Israelitici præ aliis Gentibus fuisse solùm ad bona corporalia. *Nam*, inquit, *quicquid honestè cupimus, refertur aut ad sciëntiam rerum, aut ad virtutem, aut ad sano securóque corpore vivendum. Media autem ad primum & secundum continentur in ipsa natura humana, ergo ea sunt communia omnibus Gentibus; atque adeò populus Israeliticus electus fuit solùm in ordine ad tertium.* Verùm hic Author non sufficienter enumerat bona humana; nam præter numerata honestè cupimus beatam immortalitatem animæ, & ad hanc præcipuè electum fuisse dicimus populum Israelis, ad commoda temporalia & corporea secundariò. Rectè quidem ostendit ille leges & ceremonias multum conferre ad imperium Gentis (in quo continetur salus singulorum) conservandum; sed nos asserimus & leges & ceremonias & Imperium Judæorum & singulorum felicitatem temporalem ad salutem animarum primo loco tetendisse, & hoc ille nullatenus infirmat.

2. Ite-

2. Iterum dictus Author asserit contemplationem naturæ esse fastigium bonorum humanorum; innuens alias Gentes fuisse chariores Deo quàm erant Judæi valdè ἐφιλοσόφουν. At hoc etiam non probat, cùm tamen passim fateantur (Hobbeus expresse) cognitionem esse propter actionem; & Philosophiam naturalem non ob aliud coli, quàm aut ut excitet nos ad gloriam Deo exhibendum, & ad Officiis nostris fungendum, aut ut usibus humanæ vitæ deserviat.

3. Iterum adfert iste Philosophus *nos esse beatiores ob bona possessa, quia ea possidemus, non quea soli possidemus.* Quis unquam contrarium sensit? *Tum*, inquit, *Judæi aut stultè aut invidè gloriati sunt, se supra omnes Gentes gratiâ Dei florere.* Respondeo: Si omnino sunt gloriati, stultè fecerunt; nam quid habebant quod non acceperant? Si autem gavisi sunt quòd alii lege exclusi essent, id & stultum fuit & invidum. Invidum, quia ipsi non minùs his bonis fruerentur, si ea cum aliis Gentibus communia habuissent. Stultum etiam hoc erat gaudium, nam si omnes Gentes his donis cœlestibus muniti fuissent, Judæi nullos habuissent inimicos; jam omnibus sunt odio. Apud Judæos igitur non gloriati sunt boni, sed privilegiis cœlestibus sunt lætati; non quia alii posthabiti fuere, sed quia ipsi Electi; cùm Deus omittendo alias Gentes ostenderit, se hanc etiam jure potuisse omittere.

4. *Asserit etiam hic Philosophus apud alias Gentes fuisse Dei Prophetas, eas etiam miraculis claruisse.* Ac certum quidem est nonnullos è Prophetis Judæorum de futuris rebus aliarum Gentium prophetâsse, Jonam etiam ad Ninivitas missum fuisse. Balaamus loquutus est apertè in Nomine Domini. An nonnulla ex oraculis, è Vaticiniis etiam Sybillarum, aliorúmque Vatum Gentilium, fuerint cœlitus missa, nec scio, nec video unde

de de his certiores reddi queamus, nisi per novam revelationem. Sanctus quidem Paulus declarat, Deum non se reliquisse apud Gentes (etiam ultra legem Naturæ) sine testimonio.

5. Statuendum tamen est solam Gentem Israeliticam habuisse media ad salutem æternam, scilicet vi constitutionis Nationalis. Judæi enim, observando leges Gentis suæ à Deo datas, sub Deo meruerunt, iisque propositum fuit præmium Deo dignum. In cæteris autem Gentibus qui leges Patriæ observabant, sua ipsorum commenta observabant, nec à Deo præmium expectare poterant. Cùm autem lex Naturæ sit lex Dei, qui eam apud Gentes sanctè observaverint, nescio an non in aliquam cœlestium Mansionum admitti debeant. De quo etiam egi 2. *p.* §. 4.

6. Postremo licet unicuique suis pro suo beneplacito uti. Omnes autem Gentes erant in Manu Dei ut Vasa Domus ejus. Ipse ex mero suo beneplacito Gentem Israeliticam vas fecit honoris, *i. e.* Media exhibuit quæ iis (nisi ipsorum culpâ) sufficerent ad vitam æternam. Et ad hanc Metam multos è veteribus Israelitis anhelâsse, luculenter ostenditur Epistolâ ad Hebræos, *c.* 11. Verùm non ita compertum est, cognitionem vitæ æternæ apud antiquiores Israelitas fuisse vulgarem. Pars tamen affirmans est multò verisimilior, cùm spes vitæ æternæ tempore Domini totam Gentem (exceptis Sadducæis) possederit; nec tamen quisquam ullam de hâc re ultra legem & Prophetas revelationem memoraverit. Fortasse apud antiquos idea vitæ æternæ erat obscura, quæ spem etiam valdè debilem peperit; appropinquante autem Christi vitæ æternæ Authoris exortu, vita æterna magis magisque indies claruit. Deus quippe sic res disposuit, ut Judæi Doctrinæ Christianæ perquam dociles reddantur, eique non nisi summo scelere possint ob-

obsistere. Demum, posito quòd pauci è veteribus vitæ æternæ sensu afficerentur, omnibus tamen (nisi suâ ipsorum culpâ obstante) Lex & Prophetæ etiam ad vitam æternam valuere, cùm Deus proclamet, se suis ea præstiturum quæ oculus non vidit, nec in mentem ipsis venerit.

7. Ut hæc clariora reddantur, observa legem Judaicam fuisse & carnalem & spiritualem. Carnalis erat in quantum ab aliis Gentibus populum secrevit, formam & ritus Deum colendi instituit, & terræ Cananææ fructus ut præmium proponit. Spiritualis erat in quantum per ista carnalia, Christus Evangelium & Regnum cœlorum significabantur. Itaque etiam Veteris Testamenti duplex est sensus, apertus & mysticus. Hoc luculenter ostendit Thorndicius libro de ratione ac jure finiendi controversias in Ecclesiâ. Ego unum aut alterum excerpam. 2 ad *Cor.* 3. 6. litera occidit, spiritus autem vivificat; significans sensum literalem legis esse ceu velamentum super faciem Mosis, sic ut qui ei adhæreat nec sensui spirituali attendat, adversùs fidem exitialiter obduretur. 1 ad *Cor.* 2. 13. Spiritualia spiritualibus comparantur, *i.e.* Evangelium sensui legis spirituali seu mystico. *Jo.* 1. 17. Gratiam pro gratiâ, *i.e.* Gratiam Evangelio revelatam pro eâ quæ lege velabatur. S. Irenæus contra Hæreses, 4. 43. facilem ad idola reverti populum erudiebat per multas advocationes præstruens perseverare & servire Deo; per ea quæ erant secunda ad prima advocans; hoc est, Per Typica ad Vera, per Temporalia ad Æterna, per Carnalia ad Spiritualia, & per Terrena ad Cœlestia. Omnia, inquit Apostolus, contingebant illis in figurâ. Sed, ut dixi, qui vel figuras seu umbras fideliter observabant, id iis salutiferum erat.

 SECT.

SECT. XV.

Christiani ulterius supponunt & credunt legem Mosaicam fuisse à Deo dictatam, imo Decalogum ipsius digito exaratum.

1. Tractatus Theologico-politicus negat lumine Naturæ Deum posse concipi tanquam Principem leges hominibus præscribentem. Atque ego facilè concedo, modum quo Deus leges suas Mosi impertiverit, à nobis non intelligi lumine Naturæ. Id verò factum fuisse probè intelligimus, non nativo rationis jubare, sed ratione per revelationem auctâ; quæ revelatio comprobata fuit per Miracula, & ea Miracula nobis per Traditionem universalem innotescunt.

2. Iterum, Tractatus Theologico-politicus dicit, *in Deo idem esse scire & velle, ideòque omnes divinas volitiones æternam involvere necessitatem; Ergo si Deus non vult aliquid fieri, impossibile est ut illud fiat, e. g. Si Deus noluit, quod Adamus ederet de fructu arboris quæ erat in medio horti, impossibile fuit quod Adamus inde ederet. Et hoc potest dici de omni præcepto Dei, ergo talia præcepta sunt irrita, & nihil significant.* Quod attinet ad necessitatem divinæ volitionis ob ejus identitatem cum Divinâ cognitione, satis mihi videor dixisse 1. *p.* §. 7. *n.* 8. Plura etiam dicta suppono in Metaphysicâ ubi disserendi de Naturâ Dei locus proprius est. Sed sine his ambagibus ego concedo nihil posse fieri quod Deus fieri noluerit. Nec hinc sequitur legem positivam, quæ potest observari & violari, quæque præmiis & pœnis sancitur, non posse à Deo præscribi. Et hoc etiam jure supponerem expeditum in Metaphysicâ. Sed quod præsenti negotio satis sit, dico *e. g.* Deum non noluisse ut Adamus non ederet, sed ut non ederet

&

& viveret, et in Paradiso maneret; Deum etiam non voluisse ut Adamus abstineret ab esu (nam tum reverà fuisset impossibile ut ederet) sed ut abstineret ab esu si vellet vivere, in Paradiso manere, &c. Hæcque præmia pœnæque non consequebantur ex naturâ esus istius fructus (ut Tractator somniat) sed ex mero Dei beneplacito.

3. Licèt autem Christiani cœlestem Mosaicæ Legis originem agnoscant, se tamen ei subdi non censent; legem quippe datam fuisse uni genti Israeliticæ, eámque solam gentem eâ teneri.

4. Iterum observa Legem Mosis esse ex parte moralem, & ex parte positivam. Lex Mosis, quà moralis, præcipit dictata rationis humanæ; ut, non coles nisi unum Deum, non occides, &c. Dices, *Quid opus erat ut id per Mosem de integro præscriberatur, quod per rationem naturalem satis fuit præscriptum?* Respondeo, id ex benignitate suâ fecisse Deum, ut qui non essent obsequuturi legi Naturæ ex officio, ii tamen spe & metu per legem positivam continerentur. Dices, *qui solùm spe & metu bonus est, is non est revera bonus, nec itaque Deo gratus.* Respondeo, Is non est gratus Deo ut justo, sed Deo ut misericordi gratus esse potest. Qui est utcunque bonus, is Deo benignissimo gratus esse potest. Respondeo 2. licèt spes & metus non reddant obsequium formaliter perfectum, tamen apta nata sunt efficere ut obsequium evadat perfectum. Qui enim à malo aliquandiu abstinet metu pœnæ, is malum ipsum sensim odio habet; & qui virtutem colunt primò spe præmii, ii postea ipsius virtutis amore capiuntur.

5. Lex Mosis quà positiva spectat vel ad Religionem, & dicitur ceremonialis; vel ad Regimen civile, & dicitur judicialis.

SECT.

SECT. XVI.

De Lege Mosis Morali.

CHristiani non solùm agnoscunt multa moralia esse in Lege Mosis, sed Decalogum quidem suspiciunt, ut totius Legis Moralis summam; hisque se subjiciunt; ut tamen moralia sunt, non verò ut à Mose præcipiuntur.

1. Quomodo Decalogus comprehendat omnia moralia, à multis ostenditur; cùmque tritum sit nec tamen ita magni ad Christianismum momenti, ei impræsentiarum non immorabor.

2. Observandum est, omnia præcepta Decalogi, excepto quarto, esse apud Christianos moralia; quartum verò aut ceremoniale fuisse aut mixtum. Hujus ergo loci est de naturâ Sabbati & Judaici & Christiani disserere, cùm de eâ re malæ lites in Ecclesiâ & fuerint & sint.

3. Inprimis, prorsùs morale pono esse, ut in omni Republicâ certum aliquod tempus publico Dei cultui seponatur & addicetur. Suppono enim demonstratum in Metaphysicâ, Deum esse, Mundúmque creâsse, conservare & gubernare, atque proinde esse colendum ab hominibus, húneque cultum continere in se summam, quam possumus præstare, honoris exhibitionem; exhibitio autem honoris quô communior eò est grandior; ergo Deus non solùm privatim sed etiam publicè colendus est. Sed publico cultui malè consulitur, nisi populus sciat quando & quo in loco conveniendum sit; stata ergo loca & stata tempora Dei cultui debentur, atque adeo secundum rationem est ut adhibeantur. Ac apud gentes, quod sciam, omnes adhibita sunt; quod ipsum non leviter disputat. Nam ubi valde multi in valde

multis

multis dissentientes nemine præcipiente conveniunt, in eo se vim Naturæ pati fatentur.

4. Statum ergo tempus aliquod in publicam Dei cultus administrationem seponendum esse ponatur vox Naturæ & omnium Gentium, saltem quæ extremam barbariem effugêre. Apud Judæos quæque Dies septima huic operi Dei ipsius jussu sacra fuit. Atque hæc observatio duabus apud eos rebus continebatur, scilicet quiescendo à communi opere, & in Templo ac Synagogis publicum cûltum administrando.

5. Triplici autem titulo septimam Diem seu Sabbatum observârunt Judæi. primò. Quia Deus sex diebus creationem & formationem Mundi absolverat; septimâ autem Die quievit, eámque sacram fecit. Secundum fundamentum constitutionis Sabbati Judaici erat liberatio populi ab operibus servilibus quibus eos Ægytii alligaverant. Erat tertiò Sabbatum institutum, secundario quidem fine, in requiem ac refectionem servorum ac jumentorum.

6. Ecce ergo integra ratio Sabbati apud Judæos. Quòd certum aliquod tempus seponerent in publicum Dei cultum, id erat prorsus secundùm rationem humanam atque adeo legis Naturæ. Quòd secretum hoc tempus esset septima quæque dies, erat in honorem Creatoris qui septimâ die quievit ab operibus Creationis. Quòd hæc stata dies primum fuerit Sabbatum, id erat in recognitionem Dei Liberatoris ex Ægypto. Itaque etiam Prophetæ appellant Sabbatum signum populi Judaici quo distinguebatur à cæteris gentibus & Deo proprius habebatur. An autem dies egressionis ex Ægypto fuerit, septimanas ab initio numerando, exactè septima Dies; seu an placuerit Deo septimanas deinceps à Die egressionis ex Ægyyto nnmerandas esse, nec dictum comperio, nec alicujus est ad officium Christiani peragendum

dum

dum momenti. Postremò, Judæi observantes Sabbatum requiem dederunt servis & jumentis, in eóque Deum qui ipsis requiem dederat & agnoverunt & gratitudinis plenâ imitatione coluerunt.

7. Ac Christiani quidem, ut dictum est, observant tempus aliquod statum cultus publici, quod prorsus est morale. Tempus etiam illud septimam esse Diem statuunt in honorem Creatoris, prorsus ut Judæi, cùm utrobique formam Creationis ab uno Mose didicerint. Septimam autem Diem sumunt Christiani à Die Resurrectionis Domini Liberatoris à Diabolo seu Pharaone spirituali, *&c.* Memini tamen me legisse in Hospiniano de Festis, è primis Christianis multos septimam Diem numerâsse ab Ascensione Domini, eorúmque Diem Dominicam fuisse diem Jovis, nec consensum in Diem Solis fuisse generalem ante Decretum Constantini Magni.

8. Sic, inquam, observant Christiani Diem Dominicam; quâ tamen constitutione, non ita compertum est. Vix dubitatur quin dicta observatió fuerit in usu tempore Apostolorum, ac proinde dubitari vix potest quin constitutione nitatur Apostolicâ.

9. Observandum postremó est, nos non observare Sabbatum Judaicum, ideóque nec astringi regulis Judaicis in observatione nostrâ, sed prorsus pendere in modo observandi Diem Dominicam à constitutione Ecclesiæ, aut universalis, aut etiam ejus in quâ vivimus.

SECT.

SECT. XVII.

De Lege Mosis Cæremoniali.

THeologia Christiana legem Mosis cæremonialem, eo fine quo data fuit, approbat; quòd scilicet primò, edoceret ex Dei ore cultum illum, quem sibi ante Messiæ tempora exhiberi Deus voluit; quódque secundò, cæremoniæ illæ in omnibus repræsentaverint dispensationem Evangelicam, fuerintque ei ut umbra corpori.

1. Sic *e.g.* Pascha figuravit Christum ut pro nobis passum, *&c.* quæ passim apud Evangelistas, Apostolos aliósque omni deinceps ævo Scriptores Evangelicos reperies; qui consulendi sunt. Licèt enim horum cognitio non sit necessaria saluti cujúsque animæ Christianæ, pertinere tamen eam puto ad plenitudinem Christianæ Eruditionis; & deservit, cùm ad nostræmet Fidei confirmationem, tum ad Judæos convincendos.

2. Verùm à Judæis solùm exigebatur ut legem compleant, non autem ut omnes Cæremoniarum significationes intelligant. Christiani novo lumine de cœlo perfusi, naturam legis Mosaicæ perfectè callent.

SECT. XVIII.

D*Icunt etiam Christiani Cæremonias Mosaicas & totum istud Sacerdotium expirâsse, tum cùm promulgaretur Judæis doctrina Christiana.*

Non esse scilicet attendendum umbris, ubi substantia se exhibuit; nec locum esse lucernulis Legis Sole ipso justitiæ exorto. Itaque tota hæc Cæremoniarum lex effectivè amovebatur, per Passionem, Resurrectionem & Ascensionem Domini, formaliter verò & ordinatè, per promulgationem Evangelii, die Pentecostes inceptam.

SECT. XIX.

E *Sententiâ omnium Christianorum, Lex Mosis quatenus judicialis continebat statum Judæorum; nulloque modo ad quamcumque Rempublicam Christianam pertinet, nisi in quantum nonnullæ ejus partes figurabant quædam officia Christianorum.*

1. Lex dicit, *Non obturabis os triticum triturientis*, i. e. per Expositionem Apostolicam: *eos liberè ales quibus cura animarum committitur.* Quia scilicet majus est commodum, expedire alimentum animarum, quàm alimentum corporum.

2. Subjiciam his quod attulit Hugo Grotius dè jure Belli & Pacis. lib. 1. p. 9. De usu legis Mosaicæ apud Christianos. Primò ostendit lex Hebræa, id quod eâ lege præcipitur non esse contra jus Naturæ; nam jus Naturæ est effatum Dei, ergo nihil à Deo manans ei repugnare potest. Secundò, Licet Christianis leges ferre ejus sensus cujus sunt leges per Mosem datæ, nisi ubi

ubi leges Mosis ad tempus Evangelii nondum revelati pertinent; aut nisi Christus ipse contrarium, aut in genere aut in specie, constituerit. Tertiò, Quicquid lege Mosis præceptum est, quod pertinet ad eas virtutes quas Christus à suis exigit, id nunc, si non & amplius, à Christianis præstandum est. Nam virtutes Christianorum debent esse gradu intensiores quàm quæ exigebantur à Judæis, cùm promissiones cœlestes sint multò clariores sub Evangelio quàm antè. *Lex* ergo vetus de Sabbato, & illa de decimis solvendis, monstrant Christianos obligari, ne minus septimâ parte temporis, ad cultum Dei; nec minus fructuum decimâ, in alimenta eorum qui in sacris rebus occupantur, aut simi'es pios usus, seponant.

3. Ecce, Cultus Dei publicus est necessarius, ut suprà ostensum est; & in quâcunque formâ cultus publicus peragatur, quosdam ejus administrationi præesse necesse est; & his alendis, nonnihil à reliquo populo est expendendum. Huc usque expensio est moralis. Quòd verò hæc expensio fiat per decimas, fundos, suburbia, *&c.* erat legis Mosaicæ.

4. Et in Judæorum imitationem Christiani veteres Clerum suum induerunt decimis fundis aliisque obventibus, fortasse plùs satis. Jam mos est omnia invidere Ecclesiæ, quantum quisque potest etiam abripere. In quo nec proavis suis Christianis similes sunt; nec Judæis abavis; isti autem Discipulo qui Domino invidebat charam unctionem, simillimi; ut scias sacrilegos (quicquid illi aut pietatis simulent aut charitatis) esse hypocritas & caput Domini si ipsum in suis manibus haberent, tradituros. Sed à lege transeamus ad Prophetas, à quibus duobus pendebat tota Religio Judæorum.

SECT. XX.

Omnes etiam Prophetias ab Ecclesiâ Judaicâ agnitas, agnoscit Ecclesia Christiana; & quidem effata Spiritus sancti fuisse eas proclamat.

1. Tractator Theologico-politicus (c. 1.) dicit, Prophetiam esse rei alicujus certam cognitionem à Deo hominibus revelatam. Atque hanc revelationem fieri vel lumine mentis naturali (scilicet in iis rebus quæ continentur in primis nostris notionibus) vel ope imaginationis, nimirum per verba & imagines. Vulgúsque priorem revelationem non considerare, quia communis est omnibus hominibus; posteriorem solam nomine Revelationis & Prophetiæ dignari. Quomodo autem hæc posterior revelatio sit certa, fatetur se ignorare.

2. Mihi videtur indignum Deo, in revelando astringi verbis aut imaginibus; hoc verò obtrudere sine probatione est indignum Philosopho. *Ut mens immediatè edoceretur à Deo ultra primas notiones; deberet*, inquit, *esse perfectior humanâ.* Quo argumento hoc dicit? Nullo. Imò sibi bis in hac causâ contradicit. Primò, dicit *Christi animam immediatè Dei placita edoctam fuisse.* At Christi anima non erat perfectior humanâ, sed verè humana. Tum fatetur hic author Deum immediatè communicare essentiam suam menti humanæ, *i.e.* habemus in animâ ideam Dei independenter à sensibus. At si anima est immediatè capax ideæ Dei, quidni & placitorum ejus? Apud Christianos firmum est, Deum tractare creaturas pro beneplacito suo, dona etiam dare Deo digna non meritis nostris astricta, posséque nos edocere πολυμερῶς καὶ πολυτρόπως multis modis quos hebetudo nostra non percipit.

3. Esto

3. Esto verò quòd pleraque repræsentata fuere Prophetis per verba & imagines, ut sanè videntur fuisse; sed unde habebat Propheta certitudinem quòd Deus hæc verba protulerit, aut has imagines immiserit? Nam simplex imaginatio non involvit certitudinem, quod clara mentis perceptio facit. *Inprimis*, ait Tractator, *vividissimè imaginabantur, ut nos vigilando ab objectis affecti solemus.* Verum ut ut vivida fuerit imaginatio, imaginatio adhuc erat, nec involvens certitudinem. Itaque secundo loco dicit, prophetis concessum fuisse signum quo certi reddebantur, ista fuisse divinitus revelata. Hoc ostendit exemplo Abrahami, *Gen.* 15. 8. & Gideonis, *Judicum* 6. 17. ubi dicitur, Fac mihi signum quòd tu mecum loqueris. Et hoc quidem liquidò se habet in philosophiâ nostrâ, quæ præter Naturam admittit etiam miracula tanquam immediata Dei testimonia. Hic verò Tractator statuit nihil posse evenire in mundo nisi quod sequitur ex Naturâ. Quo principio stante, quod est præsens non potest significare aliquid esse futurum, nisi in quantum est ejus causa. In Naturâ enim, sublatâ causâ tollitur effectus; ergo posito quocunque respectu rei præsentis ad futuram omisso respectu causæ, res futura tollitur seu potiùs non ponitur. Num ergo vellus madidum erat effectivum victoriæ Gideonis? Num siccum etiam? Isto etiam principio stante, quod est præsens non potest esse signum rei præteritæ, nisi quatenus est ejus effectum. Nam, sublato effectu tollitur causa, *i. e.* si hoc non est effectum illius, non apparet ex hoc quod illud fuit, quia hoc ut prodiens ex aliis causis potuit esse etiamsi illud non fuerit. Num ergo hæc duplex fortuna velleris erat effectum naturale revelationis factæ Gideoni? Si minùs, quomodo ejus realitatem significavit?

4. Tu-

4. Puto fore, ut Tractator dicat quòd vellus madidum & vellus ſiccum erant ſigna Gideoni, quia ipſe putabat immediato Dei digito utrumque factum fuiſſe. At per Tractatorem, apud quem miraculum eſt merum abſurdum, Gideon hoc ſtultè putavit. En Contemptor prophetarum. Erat Gideon certus revelationis ex ſigno quod ille ſtultè putavit factum fuiſſe præter ordinem Naturæ ad dandum ſibi certitudinem, *i. e.* erat certus quia erat ſtultus. Et ſic de cæteris prophetis.

5. Poſt hæc periculosè ſibi objicit Tractator, quòd Deus aliquando conceſſit ſigna etiam falſis prophetis, itaque nullum prophetam è ſigno fuiſſe certum ſuæ revelationis. Antecedens videtur evidens ex *Deut.* 13. 1. *Ezek.* 14. 9. 1 *Reg.* 22. 22. *Mat.* 24. 24. Itaque reſpondet Tractator, prophetam tum ſolùm fuiſſe certum è ſigno quum animum habebat ad æquum & bonum propenſum. Deum enim nunquam decipere pios, ſed iis uti tanquam ſuæ pietatis inſtrumentis, impiis verò utitur tanquam ſuæ iræ mediis & executoribus.

6. Ad hæc dico, certum videri Deum tentandorum Judæorum ergò falſos prophetas aut excitâſſe, aut ut Diabolus excitaret inſtrueretque permiſiſſe. Idémque uſu venturum apud Chriſtianos prædixit Dominus, de quo luculenter agit Vincentius Lerinenſis. Quantum autem concurſum præbuerit Deus Optimus Maximus horum prophetarum præſtigiis non venit hîc diſquirendum, ſed eſt pars quæſtionis generalis de origine mali, quam in Philoſophiâ tractatam ſuppono. Vera tamen miracula ab iſtis impoſtoribus edi non eſt concedendum. Ut ut enim homines qui non amant Veritatem meruerint decipi, & in peccatis ſuis obdurari, non eſt tamen credibile quòd Deus brachium ſuum falſariis committat, aut ut illud argumentum cum Diabolicis commentis

mentis communicet, quo solo placita sua supernaturalia hominibus commendavit.

7. Quia verò falsi prophetæ signa ostenderunt, concludit Tractator, *veros prophetas non habuisse Mathematicam certitudinem suarum revelationum, sed tantùm moralem.* Verùm, si quibus revelatio facta est per immediatam illuminationem mentis, sine dubio hæc illuminatio agnatam attulit certitudinem, sicut etiam facit lumen Naturæ. Ubi autem revelatio facta fuit menti mediante imaginatione, ibi tenendum est, prophetam fuisse absolutè certum aut ex signo aut alio modo ut Deo placuit, qui tamen vix est perceptibi'is nisi prophetæ. Per absolutam & Mathematicam certitudinem hîc intelligo tantam certitudinem quanta tollat omnem dubitationem. Si Tractator per certitudinem Moralem intelligit fiduciam cum dubitatione mixtam, tum omnes prophetas præter Christùm insimulat falsitatis. Illi enim ore dixere: *Sic dicit Dominus*; animo autem dixere: fortasse non sic dicit Dominus, nam ego tantùm imaginabar eum sic dixisse. Et hoc signum quo fretus hæc prædico potest esse fallax. Quid autem est mentiri nisi loqui aliter ac sentias?

8. Addit Tractator revelationes factas fuisse variis varias pro diversitate temperamentorum, opinionum, &c. Tristibus tristia, jucundis læta revelata fuisse. Aulicus solium & pompam regiam imaginabatur, Rusticus boves, oves, & similia. Hócque exemplis satis cum industriâ illustrat. Non injucunda Lectio, sed cui bono? Scilicet ut probet *donum propheticum non reddidisse prophetas scientiores in speculativis, & philosophiam ab iis non esse petendam.* Certè ego neminem unquam conveni, qui rebatur prophetas ex revelationibus quicquam edoctos fuisse præter ipsissimas res revelatas.

9. Quo

9. Quoniam autem revelatio facta fuit ad captum prophetæ, & eum reliquit iisdem opinionibus imbutum, quibus antè affectus erat, Tractator concludit, *nos prophetis nihil aliud teneri credere, præter id quod finis est & substantia revelationis*, e. g. *Cùm Deus revelavit se Caino, substantia & intentum revelationis erat Cainum monere ad veram vitam, non docere libertatem voluntatis aut ullas res philosophicas. Licèt ergo in verbis illius monitionis, libertas voluntatis clarissimè continetur, nobis tamen licet contrarium sentire, quandoquidem verba illa & rationes ad captum tantum Caini accommodatæ sunt.* Hæc ille. Ego mecum sic statuo. Quicquid in revelatione ad imaginationem tantum pertinet, id ad rationem nihil concludit, *e. g.* Micaias vidit exercitum cœli ab utroque Dei latere stantem; Malum Spiritum comparentem, Deum interrogantem de expediendâ Achabi ruinâ Non est hinc concludendum, Deum habere dextram & sinistram, aut etiam interrogationibus uti, sed totum hoc dandum est imaginationi prophetæ, cui Deus voluit sub hâc formâ exitum pugnæ Achabi contra Arâm revelare.

10. Ubi autem in revelatione quippiam offertur rationi, *i. e.* ubi proponitur ratiocinatio, *num assumptum est semper verum in rigore philosophico? vel, num sufficit quod sit verum in opinione ejus qui revelationem accipit, quod appellant argumentum ad hominem?* e. g. in Monitione factâ Caino dicitur à Deo. Tu potes peccare vel non peccare; num sensus est: Tu putas te habere hanc potestatem, ergo libidinem peccandi cohibere debes? Cùm Christus dixit suis (*Mat.* 18. 10.), videte ne contemnatis unum ex his parvis, Dico enim Angelos eorum constanter aspicere faciem Patris mei; num sensus est: Nolite superbire aut quenquam contemnere, nam vos putatis quod unicuique est datus assecla,

An-

Angelus cœlestis? Respondeo primò, mihi sæpe de hac re meditanti nondum occurrit demonstratio, quòd argumentum ad hominem non potuit adhiberi in revelationibus divinis. Secundò, Deus nunquam argumentatur ad hominem ex præmissis impiis aut improbis. Nam est contra φιλανθρωπίαν ejus homines obdurare in opinionibus exitialibus. Tertiò, In exemplis allatis video opinionem asserentem voluntatis libertatem deservire Monitioni ad veram vitam; opinionem etiam asserentem Angelos tutelares deservire ad dissuadendum à superbiâ & humilium contemptu. Cui verò bono deservit opinio statuens hominem esse animal ἀνεξούσιον, quódque non agat homo sed trahatur & pellatur? Cui etiam bono deservit opinio negans Angelos? Postremò, si Deus argumentis utitur quæ non apertè valent ad rationem, sed tantùm ad opiniones audientium, tamen non videtur licere assumptis ejus contradicere, certè sine demonstratione; nam qui probabili tantùm argumento id faceret, id faceret fortasse nullo; sæpe enim usu venit ut argumentum quod hodie probabile videtur, id cras videatur nullum.

11. Atque hæc sufficiant dici ad ea quæ à Tractatore eduntur *c.* 1, & 2. Nec quicquam addam de Prophetiis Veteris Testamenti, nisi Monitionem ad modestam earum interpretationem. Cùm eæ plerumque allegoriis aliisque tropis involutæ fuerint, ipsius etiam loquelæ formâ quasi Pompam Poeticam præ se ferant. Adde, Modos loquendi variis gentibus varios fuisse; atque adeo idiomata Hebræa auribus Europæis esse valde aliena. Circumstantiæ etiam tum cùm Prophetiæ ederentur multis familiares nos prorsus latent. Hinc evenit multoties ut eadem Prophetia à diversis Expositoribus ad dissitissimas Materias trahatur. Itaque valdè fidenter suas Prophetiarum Expositiones aliis obtrudere ar-

rogantiæ esse videatur, animíque suas potiùs jactantis dotes, quàm debilitatem totius humanæ intelligentiæ cogitantis. Quòd etiam hæ Prophetiæ manibus indoctorum quotidie terantur, vide an non sit contra consilium Sancti Pauli ad Romanos, *c.* 14. *v.* 1.

Ac de iis quæ Christianismus supponit utcunque disseruimus, reliquum est ea ponere quæ hæc doctrina prorsus de integro adfert; & hæc quidem omnia pertinent aut ad Fidem aut ad Obedientiam. Sit ergo hujus Summæ

QUARTA PARS.

De CREDENDIS *à Christiano.*

CRedenda à Christiano (ultra Judaismum, & ea quæ Theologia Christiana proclamat de seipsâ & de Ecclesiâ per ipsum constitutâ, de quibus actum est *p.* 2, & *p.* 3.) tractabo primò collectivè tum sigillatim.

SECT. I.

De Credendis Collectivè.

COllectiones Credendorum ſunt Arculæ in quibus credenda reponuntur in uſum Eccleſiæ. Vel ſunt vehicula quibus credenda per diſſita loca & tempora devehuntur. *Ea memorantur Scripturæ ſacræ, tria Symbola, ſcilicet, Symbolum Apoſtolorum, Nicenum & Athanaſii, & quidem omnia omnino Decreta quatuor primorum Cinciliorum Generalium, quæ quidem omnia per Traditionem univerſalem ad nos devehuntur.*

1. Sed hæc non proponuntur Fidei noſtræ, omnia eodem tenore. Scripturis ſacris fidem habemus ut Verbo Dei. Ac de iis quidem, quod ſatis ſit inſtituto noſtro, egimus in ſecundâ Parte; ac de Traditione quidem univerſali, in primâ Parte. Non eſt autem ita clarum Conciliis veteribus, aliiſque Symbolorum Conditoribus affuiſſe Spiritum infallibilitatis (quem ſibi certiſſimis ſignis vendicârant Apoſtoli); itaque iis credimus, ut Teſtimoniis Eccleſiæ iſtorum temporum, quòd dicta Decreta & Symbola cum Scripturis ſacris prorſus concordent.

2. Dico ut Teſtimoniis Eccleſiæ; nam non credimus Symbolo Apoſtolorum tanquam ab ipſis Apoſtolis condito; hoc enim non eſt ex omni parte liquidum. Nec credimus Symbolo Nicæano, quia condebatur à Concilio Nicææ, nec Symbolo Athanaſii ob Authorem, Athanaſium, ſed quia ab Eccleſiâ recepta ſunt ut perfectè concordantia cum Scripturis ſacris.

3. Quid, inquies? *Tu Socinianorum oblitus es, qui non hæc omnia Symboia recipiunt.* Nequaquam, ſed quòd rejiciant hæc Symbola tanquam Nihilum reputo. Soci-

ciniani sunt à Socino. Quòd ante Socinum hæc Symbola universim recipiebantur, sunt Testes omnes Ecclesiæ, Protestantes, Romana, Græca. Ergo Socinus defecit à Fide in quâ fassus est totam fuisse Ecclesiam. *Imò negat hoc Socinus, nam ante eum Arius idem professus est, & tanto cum successu ut inimici ejus clamarent, mundum sub Arianismo gemuisse; & quòd Athanasius esset contra mundum, & mundus contra Athanasium.* At simul appellârunt Arianos [illegible] *i. e.* Religionis suæ primos Authores. Dico ergo de Ario quod dixi de Socino. Reliquit Doctrinam Ecclesiæ. Quomodo probo? Ita censuit Concilium Nicænum. Dum accusatur & damnatur ab Ecclesiâ, an non proclamat se ab Ecclesiâ dissensisse? Nemo enim sic tractatur à suis.

4. Atque hinc percipere licet, Traditionem universalem Doctrinæ Christianæ minimè fuisse interruptam per successus Hæresis Arianæ imò ab iis robur cepisse. Invaluit illa quidem Hæresis aliquantisper in Ecclesiâ, sed tantâ cum pugnâ invecta est, ut nemini licuerit ignorare quæ ejus fuisset origo. Antè fuit damnata illa causa quàm victrix, ut scias eam judicio Ecclesiæ periisse, potentiâ aulicâ revixisse. *Mundus gemuit sub Arianismo.* Gemuit magna pars Ecclesiæ, at omnes simul fassi sunt Arium ob hanc Doctrinam à Concilio Nicææ, *i. e.* quasi à totâ Ecclesiâ fuisse damnatum. Christiana Doctrina subegit Paganismum: At non hoc evincit Paganismum priùs occupâsse Mundum quàm à Christianismo victus est? Ergo Catholicismus erat ante Arianismum.

SECT.

SECT. II.

De Mysterio Trinitatis.

CRedenda à Christiano possunt ad hæc Capita redigi; scilicet, ad Mysterium Trinitatis, Mysterium Incarnationis, & quæ ex Incarnatione sunt sequuta sequuturáve. Loquor de purè credendis, non autem de credendis in Precatione, Sacramentis, *&c.* quæ tractanda sunt in parte de agendis.

Inprimis igitur Christian credunt Deum unum subsistere in tribus re distinctis Personis coæqualibus & coæternis, scilicet, Patre, Filio, & Spiritu sancto; Filium procedere à Patre, Spiritum sanctum à Patre & Filio, &c. sicut in Symbolis.

1. Quia in tam sublimi Mysterio non est audendum quicquam pronunciare, nisi quod in sacris est Eloquiis, aut secundum verba aut secundum rem, itaque paucos Textus adnotabo è multis quibus Doctrinam suam muniunt Catholici. Quòd Pater est verè Deus. 1 ad *Cor.* 8. 6. Nobis non est nisi unus Deus, Pater, à quo sunt omnia. *Ephes.* 4. 6. Est unus Deus & Pater omnium. Quòd Filius sit verè Deus, *Jo.* 1. 1, *&c.* In principio erat Verbum, & Verbum erat apud Deum, & Deus erat Verbum. Per ipsum omnia facta sunt, *&c.* Ad *Hebræos* c. 1. v. 6. Adorent eum omnes Angeli Dei. Et v. 8. Thronus tuus [O Deus est in secula seculorum. Quòd Spiritus sanctus sit verè Deus. *Actor.* 5. 3, 4. Cur Satan implevit cor tuum, ut mentiaris Spiritui sancto? Non es mentitus hominibus sed Deo. 1 *Jo.* 5. 7. Sunt tres qui testantur in cœlo, Pater, Filius, & Spiritus sanctus, & hi Tres sunt unum.

2. Uni-

2. Universim ferè conceditur, hoc Mysterium non innotescere lumine Naturæ; quod sic probat Aquinas. Quod de Deo scimus lumine Naturæ est ex creaturis; at creaturæ non probant nisi potentiam, sapientiam & bonitatem Dei, quæ sunt essentialia in Deo, atque adeo communia toti Trinitati nec distinctionem probantia. Potest tamen dici, Deum cognosci à nobis non solùm per creaturas, sed etiam per Ideam cognatam; per quam tamen non ausim dicere quòd hoc Mysterium nobis pateat. Solùm adverto me stupenda audivisse de repræsentatione Trinitatis factâ per stultos, imò per homines ab ortu surdos. Memini etiam me olim legisse, puto alicubi apud Keckermannum, hanc Filii cum Patre consubstantialitatis ostensionem. Unumquodque quò est perfectius, eò generat sibi similius; ergo Pater infinitè perfectus generat Filium sibi perfectè similem, *i. e.* (nisi quoad Filiationem) prorsus eundem.

3. Sed ut demus non posse demonstrari Trinitatem Personarum in Deo, eam tamen per multas repræsentationes ex creaturis explicare nituntur Theologi. Mihi optima videtur repræsentatio sumpta ex mente humanâ. Homo enim ad imaginem Dei factus fuit, at non secundum corpus, ergo secundum animam rationalem. Animæ autem rationalis duæ tantùm sunt actiones immanentes, intelligere & velle. Intellectio procedit à solâ animâ, & dicitur verbum Mentis; velle autem procedit à Mente & Intellectione, nam ignoti nulla Cupido. Sic, Deus cognoscit seipsum, ecce Filius procedens, qui etiam dicitur, λόγος & sapientia Patris. Deus cognoscens seipsum, seipsum amat. En Spiritus sanctus procedens à Patre & Filio, qui etiam dicitur Amor.

4. Jam

4. Jm hæc repræsentatio, ut à Scholasticis vestita, videtur ambire formam demonstrationis. Cur enim non ponuntur nisi duæ processiones in Divinis? Quia Ens intellectuale non habet nisi duos actus immanentes. *Cur verbum mentis & amor ponuntur in Deo ut personæ cùm in nobis sint accidentia?* Quia quicquid est in nobis accidens, est in Deo substantia. *Cur in Deo verbum mentis insignitur Nomine Filii, in nobis non item?* Quia verbum Mentis in nobis est accidens, at intelligere Divinum, est ipsa substantia intelligentis; unde verbum procedens procedit ut ejusdem Naturæ subsistens, atque adeo propriè dicitur genitum & Filius. Generatio enim, ut propria viventium, est productio similis in specie. *Cur Spiritus sanctus non dicitur generari, cùm sit ejusdem Naturæ subsistens?* Quia objectum non movet voluntatem per similitudinem ei impressam, sed potiùs ut impellens. Itaque etiam procedens non dicitur Filius sed Spiritus, quod nomen motionem importat.

5. In Deo ponuntur quatuor relationes, paternitas, filiatio, spiratio communis Patri & Filio, & processio Spiritus sancti. Duo posteriora sunt nomina non relationum ipsarum, sed fundantium relationes. Processio etiam Spiritus sancti caret nomine proprio. Hæ relationes sunt reales, utpote fundatæ in realibus processionibus. Sunt etiam idem secundum rem cum essentiâ divinâ, in quâ scilicet nulla est compositio. Sed differunt ab essentiâ ratione, quia relationis nomen importat respectum ad oppositam relationem, qui respectus non importatur per nomen Essentiæ. Sic ergo, relationes Divinæ sumptæ in communi ratione accidentis quæ est esse in, sunt de essentiâ Dei; sumptæ verò secundum propriam rationem relationis quæ est esse ad aliud, sic distinguuntur ab essentiâ.

6. Hæ

6. Hæ quatuor relationes non constituunt nisi tres personas, paternitas & Filiatio duas, & processio Spiritus sancti unam. Spiratio autem communis nec Paternitati opponitur nec Filiationi, ergo nec constituit personam distinctam aut à Patre aut à Filio. Nam personæ in Divinis non distinguuntur ullo absoluto, nec nisi per relationes realiter distinctas; & in Divinis nulla est realis distinctio nisi quantum ad esse ad, *i. e.* nisi ex oppositione relationum. Itaque etiam spiratio, licèt sit relatio, non tamen dicitur proprietas personalis.

7. Hæ Personæ ponuntur coæquales, quia habent unam essentiam; nec potest quidem persona concipi ut Deus, si quicquam ei deest ob quod sit inferior aliâ personâ. Dices, *Procedens videtur esse inferioris ordinis quàm persona à quâ procedit, sicut apud nos Filius cedit Patri.* Respondeo: apud nos Filius est æqualis Patri, alioqui à tot seculis degeneraſſemus in ferè nihilum. *Imò*, dices, *Filius est æqualis Patri quoad naturam, sed debet hoc Patri, quod importat inferioritatem conditionis.* Respondeo: Hæc inferioritas est moralis, ubi autem generatio est ex necessitate Naturæ (ut est in Divinis) ibi nulla cogitari debet inferioritas. Tamen inter Personas Divinas ponitur ordo; ut Pater sit prior Filio, & Filius Spiritu sancto. Nam ubi est multitudo sine ordine, ibi est confusio.

8. Missio Personæ in Divinis, non importat mutationem loci, sed inprimis connotat processionem Personæ missæ à Personâ mittente. Itaque Pater qui à nullo est, non dicitur mitti, Filius mittitur à solo Patre, Spiritus sanctus à Patre & Filio. Tum porrò Missio importat existentiam Personæ missæ alicubi alio modo quàm ibi ante fuit. Sic, Filius erat in terris ab initio, at non incarnatus. Erat etiam Spiritus sanctus in

in terris ab initio , ſed non ut Conſolator Eccleſiæ, nec ut convincens Mundum per Miracu'a.

9. Famoſiſſimæ Hæreſes contra Doctrinam Eccleſiæ de Trinitate fuere & ſunt, Arianiſmus, Sabellianiſmus & Socinianiſmus. Arius dicitur poſuiſſe, quòd Chriſtus eſſet Deus factus, ſcilicet, prima creatura, & inſtrumentum Dei in cætera creando. Sabellius dicitur poſuiſſe tres Perſonas ſolùm ratione diſtinctas, unum ſcilicet Deum in eâdem Perſonâ creâſſe Mundum, redemiſſe hominem & Veritatem Evangelicam Miraculis confirmâſſe. Ut Creator dicitur Pater, ut Redemptor Filius, ut confirmans Fidem Spiritus ſanctus. *S*ocinus videtur ſtatuiſſe Chriſtum fuiſſe merum Hominem; & *S*piritum ſanctum non fuiſſe Perſonam, ſed virtutem ſeu potentiam Dei. Jam reliquum eſt in hoc Capite, ut præcipuis horum objectionibus diluendis operam demus.

10. Inprimis objicitur contradictio in terminis; *unum enim excludit multitudinem, ergo tres Perſonæ non poſſunt eſſe unus Deus.* Ad hoc reſpondetur, Deum eſſe unum ſecundum Eſſentiam, & Trinum quoad perſonales proprietates tantùm. Contra hoc ſic inſurgunt. *Proprietates perſonales ſunt reipsâ eædem cum eſſentiâ, ergo & inter ſe; nam quæ ſunt eadem uni tertio ſunt idem inter ſe.* Reſpondet Aquinas, axioma valere in iis tantùm quæ ſunt eadem uni tertio & re & ratione; proprietates autem perſonales differunt ratione ab eſſentiâ, ut dictum eſt *n.* 5. Ac valeat quidem hæc ſolutio quantam valere poteſt. Ego in his mihi ſic ſatisfacio: Quæ ſunt eadem uni tertio ſunt idem inter ſe, in Entibus finitis concedo, in Ente infinito nego. Cujus ſolutionis rationem exhibui fuſiuſculè, 2 *p.* *S*. 2. *n.* 2. Et in Tractatiunculâ cui titulus, *S*upremus legibus ſolutus. *Med.* 1. *S*. 8.

P 11. Ite-

11. Iterum disputant: proprietates personales vel sunt finitæ perfectionis vel infinitæ. Contra utrumvis assumptum multa adferunt sui Cerebri Monstra. Aut scilicet statuendum aliquod finitum esse in Deo, aut esse tria infinita. Ego respondeo, Quòd planè ignoro, sintne hæ proprietates personales finitæ perfectionis an infinitæ; sicut etiam ignoras tu, componatúrne continuum ex partibus finitis vel infinitis. Vide 1. *p. Sect.* 7. in Responsione ad Tractatum Theologico-politicum.

12. *Sed ita confitendo ignorantiam nostram in Mysteriis Fidei, an non profitemur fidem nostram esse potiùs circa verba quàm circa res?* Minimè, nam nos profitemur intelligere Mysterium Trinitatis, sed non comprehendere, *i. e.* aliqua ejus intelligimus, sed non omnia.

13. Sequitur objectio quasi Moralis: *Cui*, inquiunt, *bono obtruditur creaturis rationalibus tam obstrusum & incomprehensibile Mysterium? Quam partem officii nostri promovet?* 1. Docet justitiam, ut colamus Filium & Spiritum sanctum, sicut Patrem colimus. 2. Doctrina de Trinitate Christianorum spes jubet esse ratas; qui enim dedit nobis Filium spiritúmque ipsi consubstantiales, quomodo cum iis non dabit omnia? 3. Hæc Doctrina incendit amorem erga Deum; quid enim aut agere aut pati pro eo recusare poterimus, qui nos sic dilexit? Ex adverso, qui Christum merum esse hominem contendunt, omnia Christianismi quàm reddunt vilia? *Christum Sanctum fuisse & Servum Dei eximium agnoscunt.* Agnoscit idem Mahometes. Et nisi Saraceni Christo superaddidissent Mahometem, essent ipsi quantum quidem ad credenda, Christiani Socinianis simillimi.

SECT.

SECT. III.



De Mysterio Incarnationis.

Fides Catholica est, æternum Dei Filium assumpsisse & univisse sibi personaliter humanam naturam. i. e. veram animam & verum corpus humanum, conceptum seu formatum operatione Spiritus sancti è substantiâ Virginis Mariæ, ad tollendum peccatum mundi, & ad salutem æternam hominibus procurandam, &c. Sicut in Symbolis.

1. Hoc etiam Mysterium est à nobis prorsus incomprehensibile. Ad ejus tamen illustrationem à Patribus & Scholasticis multa adducuntur ; quæ quidem potiùs docent quomodo se res non habeant, quàm quomodo se habeant ; & præcipuè adhiberi videntur cautione contra Hæreticos. Ego, missis iis quæ mero disputandi pruritu emerserunt in Scholâ, nonnulla quæ aliquatenus usui fore arbitror, adnotabo ; & tum objectionibus diluendis incumbam.

2. Incarnatio non statuitur absolutè necessaria ad Redemptionem hominum ; nam hoc esset coarctare Omnipotentiam ; fuisse tamen modum Redemptionis commodissimum. Hinc 1. Confirmatur Fides. Deo loquenti quis non credat ? 2. Et spes. Quid enim non speremus à Deo qui sic nos dilexit ? 3. Excitatur Charitas. Si amare Deum pigebat, saltem non redamare pudeat 4. Hinc habemus firmissimum exemplar vitæ. Sequimur hominem visibilem, sed qui Deus est infallibilis. 5. Hinc reprimitur Diabolus ; ne se ausit homini anteponere, cùm homo sit Deus. 6. Hinc monemur non esse peccatis inquinandam naturam nostram, quæ in Deum assumpta est. 7. Hinc à peccatis redi-

mimur; nam justitiæ divinæ satisfaciendum fuit. Homo merus non potuit satisfacere, Deus non debuit; Homo qui est Deus, est certissimus Redemptor; patitur quà homo, & satisfacit patiendo quia Deus.

3. Licet non sit impossibile Patrem aut Spiritum sanctum incarnari; tamen convenientius videtur incarnatum fuisse Filium. 1. Enim, per Filium creabantur homines, ergo per eum erant reparandi; sicut artifex opus suum collapsum reficit eâdem formâ artis conceptâ, quâ condidit. 2. Perfectio hominis est per sapientiam; ergo summa ejus perfectio, per Filium qui est sapientia Patris, procuranda fuit. 3. Non nisi ut Filii per adoptionem, sumus hæredes Dei; ergo inserendi eramus Filio ejus per Naturam. 4. Primus homo peccavit per inordinatum appetitum scientiæ, ergo per verbum veræ sapientiæ reparandus fuit.

4. Assumere est ad se sumere; itaque est actio, & determinat principium & terminum suum. In incarnatione, principium assumptionis est tota Trinitas; nam opera Trinitatis sunt indivisa, *i. e.* per Potentiam communem Patri & Filio & Spiritui sancto, humana Natura est assumpta. Terminus autem hujus assumptionis est solus Filius, *i. e.* Tota Trinitas ad Filium assumpsit Naturam humanam.

5. Assumptio & Unio in Incarnatione sic differunt. Assumptio importat actionem assumentis & Passionem assumpti; Unio importat ipsam relationem divinæ & humanæ Naturæ, quatenus conveniunt in eâdem personâ. 2. Assumptio dicitur sicut in fieri, Unio sicut in facto esse. 3. Relatio æquiparantiæ, qualis est Unio, non aliter se habet ad unum Extremum quàm ad alterum; Assumptio verò & omnis actio diversimodè se habet ad agens & ad patiens Unde indifferenter dicitur quòd humana Natura est unita Divinæ, & è conver-

verso, divina humanæ. Non autem dicitur divina Natura assumpta ab Humanâ, sed Humana à Divinâ.

5. Unio non ponitur in Essentiâ Verbi (nam tum esset communis toti Trinitati) sed in Personâ seu Hypostasi; in quantum scilicet hæc Natura humana subsistit subsistentiâ Verbi. Itaque sunt duæ Naturæ in Christo sicut ante Unionem, sed una tantùm Persona. Nam licèt Natura humana Christi assumpta fuerit in individuo, tamen non est de se persona aut suppositum, quia existit in alio perfectiori; sicut etiam brachium, licèt sit substantia quædam singularis, tamen non est suppositum, quia existit in alio digniore, nempe toto corpore.

6. Christus assumpsit veram Naturam humanam; atque ideo veram animam humanam, & verum corpus humanum, & veram Unionem animæ & corporis. Nam factus est similis nobis per omnia. Assumpsit tamen corpus, quasi mediante animâ; tum quia anima est nobilior corpore, intérque Deum & corpus posita; tum ratione causalitatis, quia anima est quasi causa quòd corpus assumptum fuerit; Caro enim non est assumpta nisi per ordinem quem habet ad animam rationalem, unde habet ut sit caro humana.

7. Dices, *Anima & corpus unita constituunt compositum.* Respondeo, Ita esse in nobis, quia existunt per se at non in Christo quia existunt in digniore. Eodem enim momento in utero Virginis uniebantur anima & corpus inter se, & cum Dei Filio. Nam si unita fuissent inter se antea quàm cum Verbo, constituissent Personam de se.

8. Unio personalis est creatura, quia incepit in tempore. *Sed quomodo potest creatura esse in Deo?* Respondet Aquinas, Relationes creaturarum ad Deum esse in

cre-

creaturis reales, easdem in Deo esse relationes rationis tantùm. Videtur etiam posse dici, creaturam posse esse in Deo, modò non trahatur in identitatem Essentiæ, nam etiam anima & corpus sunt in Deo. Et licèt Unio Hypostatica videatur esse immediatior Divinitati, tamen ea est in Personâ non in Essentiâ Dei.

9. Proximum est dispicere de coassumptis animæ & corporis perfectionibus & imperfectionibus. Inprimis anima Christi fuit ab Incarnatione gratiâ habituali abundè munita. Nam 1. Erat unita Fonti Gratiæ, ergo ejus influxum uberrimè recipiebat. 2. Hæc anima actura & passura erat res maximas, at gratia datur ad meliùs operandum. 3. Hæc anima debuit esse nobis Fons Gratiæ, ergo debuit ipsa abundare gratiâ. Dices, *Hæc omnia supplebantur per Verbum.* Respondeo, Debuit Christus agere non solùm ut Deus, sed etiam ut Homo. Non tamen habuit Christus ut Homo gratiam infinitam, quia habuit animam finitam. Habuit autem gratiam sine Mensurâ & quasi indefinitam, *i. e.* non ut nos ad aliqua bona opera & ad pœnitendum de peccatis, & quæ privato pro se sufficiat; sed prorsus omnem gratiam necessariam Capiti Ecclesiæ, *i. e.* omnem necessariam aut operi Redemptionis peragendo, aut Redemptis gratiâ muniendis. Gratia Unionis (quæ dicitur) nihil est nisi ipsa Unio personalis ut emanans ex merâ gratiâ seu favore divino, cujus effectus est gratia habitualis. Nec dubium est quin Christus habuerit omnes virtutes, quippe quæ sunt scaturigines gratiæ, gratia enim dicitur in Scholâ perficere essentiam animæ, virtus potentias.

10. Christus ratione gratiæ suæ jure dicitur per Metaphoram Caput Ecclesiæ. Nam 1. Principium rei dicitur ejus Caput, ut caput fluvii, caput viæ. Gratia au-

autem Christi fuit prior ullâ gratiâ Ecclesiæ, non quidem tempore sed Naturâ, nam omnes alii recepere gratiam per respectum ad Christi gratiam. 2. Caput est celsissima pars, & gratia Christi est celsior gratiâ totius Ecclesiæ. 3. Ob plenitudinem, nam omnis gratia est in Christo, ut omnes sensus tam interni quàm externi sunt in capite. 4. Christus gratiam infundit in omnem Ecclesiam, sicut in capite est vis sensitiva & Motiva. Christus tamen, ut Homo, dicitur instrumentum Dei in gratiâ influendâ.

11. Christus, ratione gratiæ suæ, est caput omnium hominum, sed maximè fidelium, 1 *Tim.* 4. 10. 1 *Jo.* 2. 2. Ipse est propitiatio pro peccatis nostris; nec pro nostris tantùm, sed pro peccatis totius Mundi. Inprimis ergo & summo gradu, Christus est Caput eorum qui ei uniuntur in gloriâ. 2. Eorum qui ei uniuntur in Fide & Charitate. 3. Eorum qui ei uniuntur potentiâ quæ reducetur in actum. 4. Eorum qui ei uniuntur potentiâ quæ non reducetur in actum. Et hi postremi, exeuntes ex hac vitâ, *i. e.* exuentes capacitatem gratiæ, desinunt esse ullo modo Membra Christi.

12. Christus etiam ut homo dicitur caput Angelorum. Nam corpus (Metaphoricè) dicitur Multitudo ordinata in unum per diversos actus sive officia. Sed & homines & Angeli ordinantur ad fruitionem Dei, itaque corpus Mysticum Christi videtur consistere ex utrisque, & utrorumque esse caput, quia propinquiùs se habet ad Deum, & dona ejus perfectiùs participat. *Col.* 2. 10. Qui est caput omnis potestatis, *Eph.* 1. 21. Constituit eum supra omnem potestatem & principatum.

13. Solus Christus est Caput Ecclesiæ ratione influxus interioris, at secundum Gubernationem exteriorem

rem etiam alii dicuntur capita. Sed cum hac differentiâ. Christus est caput hominum, omnibus temporibus & locis; homines sunt capita solùm in suis districtibus & pro suis temporibus, ut Reges in suis regnis, Episcopi in suis Diœcesibus. 2. Christus est Caput suâ propriâ virtute & authoritate; homines verò, non nisi authoritate commissâ à Christo, 2 *Cor.* 5. 20. Pro Christo legatione fungimur, tanquam Deo exhortante per nos.

14. In Christo non admittitur fides aut spes, ob defectum utrique adhærentem. Habuit donum timoris Dei. *Isa.* 11. 2. Quiescet super eum Spiritus scientiæ & timoris Domini. *Sed num Christus timuit malum à Patre?* Respondeo, Objectum timoris non est solum malum, sed etiam is qui potest malum inferre; posse autem malum inferre, est eminentiæ. Christus ergo timuit Deum non ut illaturum malum, sed ob eminentiam potestatis, *i. e.* reverebatur. *Heb.* 5. In omnibus exauditus est pro reverentiâ suâ.

15. Aquinas ponit in animâ Christi triplicem scientiam. 1. Beatam, quâ vidit Deum, & in Deo omnia; 2. Inditam seu infusam, quâ cognovit res intelligibiles per species infusas humanæ menti proportionatas; 3. Experimentalem, quâ cognovit res trahendo species ex Phantasmatibus. Hoc sic ostendit: anima Christi licèt finita, tamen gratiâ unionis habet omnem perfectionem sibi possibilem; ergo omnis ejus potentialitas reducta est in actum; itaque cognovit Deum, quantum ab animâ humanâ cognosci potest, *i. e.* attingit, sed non comprehendit. En scientia Beatorum! Iterum, est naturalis facultas animæ, per intellectum agentem species intelligibiles facere, eásque per intellectum possibilem recipere; En in Christo scientia acquisita seu experimentalis. Iterum, omnis creatura,

præter

præter Potentiam passivam naturalem quæ respicit agens naturale, habet Potentiam obedientialem respectu Dei. En in animâ Christi scientia infusa. Hinc statuitur Christum fuisse à Conceptione comprehensorem, quoad quidem partem animæ superiorem; licèt fuerit Viator quoad Corpus, quod patiendo tendebat ad gloriam; & quoad partem animæ inferiorem, quæ Corpori compatiebatur.

16. Si objicis Luc. 2. 52. crevit in sapientiâ, *&c.* Respondet Aquinas, Christum crevisse in sapientiâ, *i. e.* Visum fuisse crescere, quia plura indies & majora sapientiæ suæ documenta exhibuit.

17. Si objicis Mar. 13. 32. Ne Filius quidem, *&c.* Respondet Aquinas, Christus non novit eum Diem tanquam narrandum.

18. Si objicis 1 Cor. 13. 10. Adventu perfecti imperfectum abigitur; ergo si Christus cognovit omnia modo perfectissimo nimirum Visione beatificâ, non opus fuit addere Modos imperfectiores eadem cognoscendi; scilicet, per species infusas, & per species naturales. Respondet Aquinas, *Quòd pertinuit ad perfectionem animæ Christi, ut habeat omnes potentias animæ humanæ, eásque reductas in actum.* Sed frustra fit illud pluribus modis, quod uno modo satis fit. Nec est imperfectionis, quòd aliquæ Potentialitates in animâ Christi non reducantur in actum suo modo, cùm reductæ sint in actum modo eminentiori: Sicut humana Natura Christi non est imperfectior, quia Potentia ejus subsistendi per se non reducitur in actum, cùm subsistat in digniore.

19. Tandem alii commodiùs putant dici; Christum, secundum Naturam humanam, non fuisse illico comprehensorem, nec omnia scivisse, sed ea solùm quæ erant necessaria singulis Redemptionis nostræ partibus

tibus peragendis. Nam factus fuit similis nobis per omnia, solo peccato excepto. Non est autem peccatum in nobis, nescire quæ nihil attinent. Cúmque non possit intelligi, quomodo, Deo quoad animam rationalem perfectè fruens, possit corporis sentire dolores, statuere Christum Comprehensorem ante Passionem, videtur favere Manichæis, & fictæ Passionis suspicionem inducere. Si objicis, quòd Christus novit omnia, quia est omnium Judex; Respondent, Quòd necesse est ut sciat omnia, tum cùm judicaverit, at non in utero Virginis.

Si objicis Jo. 2. 24. Quòd Christus novit quid est in homine cùm esset in terris; Respondent, Hoc posse intelligi de Deitate Christi; per infusionem etiam verum erat de Humanitate Christi, quatenus ea munita erat omnibus necessariis ad sui Præservationem usque ad tempus Mortis præfinitum; atque adeo cognitione cogitationum, non fortasse omnium hominum sed omnium quibuscum versabatur. Ex Sancto Paulo ad Galatas 4. 1. Ego sic mecum statui. Christus ut Homo titulo Unionis hypostaticæ est Hæres Dei & Dominus omnium rerum, non solùm jure sed etiam possessione, usum tamen hujus Domini detentum fuisse in Manu Dei usque ad consummationem Redemptionis, nisi in iis quæ necessaria erant Humani generis Redemptioni peragendæ.

20. Post considerationem intellectus & voluntatis in Christo, proximum est de Potentiâ animæ ejus dispicere. Omnipotentia autem est propria Deo, certum ergo est animam Christi non fuisse omnipotentem. Potuit tamen Christus quà Homo omnia quæ voluit; impossibile enim erat ut voluerit aliquid quod non debuit fieri. Itaque dicit; omnis Potestas mihi data est in cœlo & in terrâ.

Obj.

Obj. Præceptum est Signum voluntatis; at Mat. 9. 30. Christus dicit, Videte ne quis sciat. Illi autem exeuntes diffamaverunt eum. Respondeo, Potuit Christus omnia quæ fieri voluit per se, non quæ per alios, quorum arbitrii libertas non erat violanda: Nec itaque absolutè voluit ut non dicerent, sed ut non dicerent, si benefactori quidem obsequi velint.

Obj. 2. Nemo petit ab alio quod ipse potest præstare, at Christus oravit Patrem. Respondeo, Petiit à Patre quæ ipse suâ voluntate perfecturus erat, quia & virtus ejus & voluntas dependebant à Deo, qui operatur in nobis & velle & perficere.

21. Deinceps dispiciamus de imperfectionibus coassumptis. Ac inprimis Christus assumpsit Corpus humanis infirmitatibus subjectum. Nam 1, ut possit satisfacere pro Peccatis Mundi, famem, sitim, mortem, & cæteras pœnalitates pati debuit. 2. Nisi per has infirmitates non verum sed phantasticum Corpus assumpsisse videretur, ut somniârunt Manichæi. 3. Nobile exhibuit patientiæ Exemplum fortiter toler-ando Passiones & imperfectiones humanas.

Obj. Anima Christi per gratiam & scientiam erat secura ab errore, quid ni & Corpus à Malis corporeis? Respondeo, Ad satisfaciendum pro Peccatis firmitas animi & infirmitas Corporis erat utraque necessaria; infirmitas Corporis ut possit Christus pati, firmitas animi ut bene patiatur, nam passio Corporis sine charitate nihil est, 1 Cor. 3. 13.

Obj. 2. Hæ infirmitates impedimento erant Deitati Christi agnoscendæ, *Isa.* 53. 3. Despectus erat nec reputavimus eum. Respondeo, Christus aliunde satis probat Divinitatem suam, ex infirmitatibus veram humanitatem ostendit.

Obj. 3. Patres expectârunt minimè infirmum, Isa. 51. 9. Exurge, exurge, induere fortitudinem. Respondeo, Induit Christus fortitudinem, sed spiritualem, per quam & Diabolum vicit & humanam infirmitatem sanavit.

22. Observandum autem est, Christum solùm eas infirmitates sumpsisse quæ consequuntur totum genus humanum ex Peccato Originali, ut sunt mori, esurire, sitire, fatigari, *&c.* Non autem eas assumpsit infirmitates quæ nonnullas Personas affligunt è causis particularibus, ut sunt Lepra, Morbus caducus, *&c.* Formatio enim Corporis ejus erat è Spiritu sancto infinitæ & sapientiæ & potentiæ artifice.

23. Non assumpsit Christus Peccatum, quia non pertinuit ad Naturam humanam Dei opus, sed contra Naturam per seminationem Diaboli introductum est. Et, Peccatum impedivisset satisfactionem.

Obj. Nos habemus Peccatum originale quia fuimus in Adamo, at Christus etiam fuit in Adamo. Respondeo, Christus in Adamo fuit solùm secundum Materiam (quæ erat Dei opus) non autem secundum seminalem rationem, quippe formatus desuper; itaque ex Conceptione non contraxit Peccatum Originale.

24. Caro Christi naturaliter appetebat Escam, Potum, *&c.* quæ secundum rectam rationem appetuntur. Non autem habuit concupiscentiam delectabilium præter ordinem rationis, quæ dicitur fomes peccati; hæc enim excludebatur per plenitudinem gratiæ.

Obj. Magna nostra Victoria est subjicere istiusmodi concupiscentiam, at Spiritus Christi est victoriosissimus, ergo omnes habuit Adversarios. Respondeo, Magna est Victoria concupiscentiam rebellem subigere, at major eam tollere. *Ob.* 2.

Ob. 2. Tentabatur sicut & nos. Respondeo, Tentationis Christi erant ab extra.

25. Affectus appetitus sensitivi erant in Christo; pertinent enim ad Naturam hominis. Non tamen in eo erant sicut in nobis corruptis. Nam 1. Passiones Christi nunquam ferebantur ad illicita, nostræ plerumque. 2. In Christo oriebantur Passiones secundum dispositionem rationis, in nobis frequenter præveniunt Judicium rationis. 3. Hæ in nobis sæpe trahunt rationem, in Christo sistebant in parte sensitivâ.

26. Itaque Christus habuit verum dolorem; nam habuit Corpus læsum & sensum hujus læsionis. Veram etiam habuit tristitiam, scilicet de Passione & Morte, & de Peccato tum Discipulorum tum Judæorum ipsum occidentium.

Ob. Quomodo potuit tristari de his cùm contemplaretur Deum? Respondet Aquinas, Quòd delectatio divinæ Contemplationis retinebatur in Mente Christi, nec derivabatur ad vires sensitivas quo excluderetur tristitia aut dolor sensibilis.

Obj. 2. Tristitia est de iis quæ nobis nolentibus accidunt, at Christo nihil tale accidit. Respondeo, Aliquid potest esse contrarium Voluntati secundum se, licèt sit volitum ratione finis; ut patet in sumptione Pharmaci; & talis fuit Mors Christi.

27. Timor etiam fuit in Christo, *i. e.* fuga futuri nocivi. Et ira, in quantum est ordinata per rationem cupiditas vindictæ, & vocatur ira per zelum. Dicitur etiam Christus admirari; non quòd novum ei accidit: sed miratus est, *i. e.* hoc mirandum proposuit nobis, quibus istiusmodi admiratio est adhuc utilis. *Omnes tales motus ejus non sunt perturbati animi signa, sed docentis Magistri.*

28. Vo-

28. Voluntas sensitiva Christi, & etiam Voluntas rationalis ut Natura poterant differre à Voluntate Dei. Deus enim volebat ut Christus pateretur pro salute hominum; at Voluntas Christi ut Natura hoc refugiebat. Verùm Voluntate rationis Christus omnino concors fuit cum Voluntate Dei, *i. e.* ista quæ Naturâ refugit, ob finem suscepit.

29. Christus orabat, quia habuit Voluntatem humanam quæ de se non est efficax Volitorum, itaque petenda erant à Deo.

30. Christus secundùm humanam Naturam est subjectus Patri sicut alii homines. 1. Quoad bonitatem; nam Natura Divina est essentia bonitatis, quam habet Natura humana participativè, quasi radiis Divinæ subjecta. Secundum hoc dicit Christus, Mat. 19. 17. Non est bonus nisi solus Deus. Itaque increpavit eum qui ipsum appellaret bonum quem Deum esse non crederet. 2. Humana Natura Christi subjicitur Deo quoad Potestatem. Secundum hoc dicitur Phil. 2. 7. Suscepit formam servi. 3. Humana Natura Christi subjicitur Deo in quantum propriâ suâ Voluntate Mandatis Dei obsequitur, Jo. 8. 07. semper facio quæ ei placent.

31. Honor exhibetur Personæ, itaque non licet unâ adoratione colere Naturam Divinam & Humanam aliâ, sed unâ Christum. Plures tamen sunt causæ hujus unius cultus; ut *e. g.* Si colas ob sapientiam increatam & obcreatam. Cultus autem qui tribuitur Christo propter Perfectiones humanas dicitur in Scholâ non latria quæ soli Creatori debetur, sed dulia; quæ tamen duo nomina non habent nisi precariam differentiam significationis. Adorare carnem Christi tanquam objectum est ipsum Christum adorare, sicut qui osculatur Manum osculatur Hominem.

32. Ex

32. Ex Unione Naturarum Christi hypostaticâ sequitur Communicatio idiomatum, *i. e.* Quod est proprium Naturæ Divinæ ritè attribuitur Filio hominis tanquam Personæ Divinæ. Et quæ sunt propria Naturæ humanæ rite tribuuntur Filio Dei tanquam Naturæ humanæ hypostasi. Verum licèt eadem dicantur de Deo & Homine in Christo, non tamen dicuntur secundum idem, *e. g.* Deus est crucifixus, sed solùm secundum Naturam humanam; Filius hominis fuit ab æterno, at solùm secundum Naturam Divinam. Itaque interdum determinatio additur, ut Filius Dei est Filius Abrahæ secundum carnem. Atque hæc determinatio semper intelligitur in istiusmodi affirmationibus, & ubi dubitatio potest esse addenda est cautione contra Hæreticos.

Obj. Assumi dicitur de homine in Christo, at non de Deo. Respondeo, Nec de homine quidem, nam est proprium Naturæ in abstracto.

33. Conceptio Christi est opus totius Trinitatis, tamen per appropriationem quandam attribuitur Spiritui sancto. 1. Quia Incarnatio est è summo amore Dei, & Spiritus sanctus est amor. 2. Ad ostendendum quod hoc factum erat sine ullo merito Naturæ assumptæ, sed è solâ gratiâ quæ attribuitur Spiritui sancto. 3. Per Incarnationem Filius hominis est Sanctus & Filius Dei, quorum utrumque est à Spiritu sancto, *Gal.* 4. 6. Quoniam est is Filii Dei, Deus misit Spiritum Filii sui in corda vestra. Tamen Christus non dicitur Filius Spiritus sancti secundum carnem, quia formabatur Corpus ejus à Spiritu sancto non tanquam generante, sed tanquam Omnipotente. Maria autem rite dicitur Mater Christi, quia Materiam ministravit, quod est Matris.

34. De-

34. Deinceps objectionibus quibusdam solvendis operam dabo.

Obj. 1. Persona Verbi identificatur cum Essentia Divinâ, ideóque quod unitur Personæ Verbi, unitur Essentiæ Divinæ, atque adeo omnibus tribus Personis. Ad hoc respice quæ dixi *§.* 2. *n.* 10.

Obj. 2. Si Filius Dei venisset ex amore hominum, venisset citius, quo plures in eum crederent & salvarentur. Respondeo 1. In operibus Dei nihil ultra Voluntatem Divinam inquirendum est. Venit quia ipsi placuit, & venit quando ipsi placuit. Respondeo 2. Redemptio facta per Christum quoad efficaciam immediatè sequebatur primum peccatum; in eâ enim fundata est illa promissio, quòd semen Mulieris conteret caput serpentis. Sed, dices, si Christus venisset citiùs, plures Gentes eum scivissent. Respondeo, certum esse Redemptionem Christi multis prodesse quibus ipse non est notus, ut patet in Infantibus baptizatis, spero etiam in non baptizatis & in Gentilibus adultis ante adventum Christi qui sincero animo virtuti studebant; de quo respice quæ dicta sunt 2 p. sect. 4.

Obj. 3. Impossibile est ens perfectissimum & immutabile descendere & exinaniri. Respondeo: Descensus Filii Dei non importat mutationem loci, sed solùm Manifestationem sui in terris alio modo quàm se antea manifestaverat. Filius etiam Dei quà Deus est & semper fuit Dominus omnium, sed dictus est exinanire seipsum per Communicationem idiomatum, quia Filius hominis qui induit formam servi est Filius Dei.

Obj. 4. Corpus Christi nutriebatur, at nutritio sequitur detritionem partium; at quod assumptum est in Deum videtur non posse deperdi, ergo videtur corpus

non

non fuisse assumptum. Respondeo, Corpus fuit assumptum ratione animæ, *i. e.* ut humanum & sub conditione humani corporis; itaque partes ejus & detritæ erant & per nutritionem reparatæ, & tamen idem erat corpus nutritum & primò assumptum, sicut etiam apud nos corpus nutritum est idem quòd primò nascebatur.

SECT. IV.

De Nativitate Christi.

Fides Catholica est, Christum natum fuisse ex Mariâ Virgine.

1. NON ambigitur inter Christianos, quin Maria in Conceptione Christi fuerit Virgo, *i. e.* intacta à viro. Nonnulli autem dubitant an Christus exiverit ex utero Matris clauso, quomodo certissimè eò intravit; neque hoc putant necessarium esse ad Virginitatem Mariæ, cùm Virginitas solâ Mixtione Venereâ lædi videatur.

2. Quòd autem Maria permanserit Virgo per totam vitam, si non est de fide, tamen ita sentire est prorsus secundum rationem, Nam 1. Contrarium esset indignum Spiritu sancto cujus sacrarium erat uterus Virginis, *Ezek.* 44. 2. Porta hæc clausa erit in æternum, & vir non transibit per eam, quoniam Dominus Deus Israel ingressus est per eum, 2. Talis commistio derogaret dignitati Matris Christi, quæ ingratissima videretur, si tali Filio contenta non fuisset. 3. Maximæ fuisset præsumptionis in Josepho, si attentasset eam polluere quam ex Angelo novit concepisse è Spiritu sancto.

Obj. Fit mentio fratrum Christi. Respondeo, Judæi consanguineos appellarunt fratres.

Obj. 2. *Mat.* 1. Accepit conjugem suam & non cognovit eam; donec peperisset Primogenitum. Quo videtur significari quòd eam pòst cognovit. Respondeo, Donec interdum desinit tempus, ut *Gal.* 3. 19. Lex posita est donec veniret semen. Interdum autem donec relinquit tempus indefinitum, ut *Psal.* 123. 2. Vertentur oculi nostri ad Dominum, donec misereatur nostri. Ex quo non est intelligendum quòd post impetratam Misericordiam oculi à Deo averterentur, sed quòd multò magis in eum figerentur. Sic Josephus non cognovit Mariam usque ad Partum, & multò minùs pòst.

3. Nativitas Christi fuit revelata Magis ut Idololatris, Gentilibus & Divitibus; Pastoribus ut pauperibus Judæorum; Simeoni & Annæ ut Piis: ut significetur Christum venisse Servatorem hominum, cujuscunque sint illi Gentis Religionis & Conditionis.

SECT. V.

De Legalibus circa Puerum JESUM adhibitis.

Octavo die Christus fuit circumcisus, & nomen JESU accepit, & in Consummatione Purificationis Mariæ allatus est in Templum & Domino oblatus, &c. secundum Legem Mosis.

1. CHristus quia Peccati exors non erat Legi obnoxius, se tamen Legi subdidit, ut redimeret eos qui erant sub Lege, & ut Legem confirmaret, & ut daret humilitatis exemplum, & ut ansam calumniandi Judæis præriperet.

2. Sic

2. Sic Mater Christi non indigebat Purificatione Mosaicâ, nam purissimè conceperat è Spiritu sancto, ei tamen ritui se subdidit ad evitandum calumnias Judæorum, & ad imitandum humilitatem Filii sui.

3. Sed cur est Christus dictus Jesus, cùm Isaias prædixisset, Quòd vocaretur Immanuel? Respondeo, Appellatur & Immanuel & Princeps Pacis, *&c.* Sed in Circumcisione Nomen Jesu adhibitum est, quod significat Servatorem, & comprehendit omnia alia Nomina quibus est insignitus, *e. g.* dicitur Immanuel ob Incarnationem quæ est causa Redemptionis; dicitur Princeps Pacis quæ est consummatio Salutis per Redemptionem partæ; dicitur Consiliarius, quia ejus consilio peragebatur opus Redemptionis, *&c.*

Obj. Sed hoc Nomen Jesu erat commune multis aliis. Respondeo, Potuit aliis attribui ob salutem temporalem aliquibus partam; at solus Christus est dictus Jesus ut Servator omnium hominum & ab omnibus Malis.

SECT. VI.

De Baptizatione Christi.

Cùm multi à Joanne baptizati fuissent, Christus etiam ab eo baptizabatur, &c. Mat. 3. 13.

1. JOannes missus fuit à Deo ad baptizandum, *Jo.* 1. 33. Non ut institueret ritum permansurum, sed tantùm præparatorium. Nimirum 1. Ut Christus ab eo baptizatus Baptismum consecraret. 2. Ut Christus manifestaretur, *Jo.* 1. 31. Concurrentibus enim turbis ad Baptismum, Joannes Christum an-

nuntiabat, quod facilius sic factum fuit, quàm si per singulos discurrisset. 3. Ut assuefierent homines ad Baptismum Christi. 4 Ut ad pœnitentiam homines inducens eos præpararet ad dignè suscipiendum Baptismum Christi.

2. Baptismus Joannis videtur lavisse solam carnem, non autem gratiam contulisse, *Jo.* 1. 26.

Obj. Joannes prædicavit Baptismum pœnitentiæ in remissionem Peccatorum, *Marc.* 1. 4. Respondeo, *i. e.* Baptismum inducentem ad pœnitentiam quam sequebatur remissio Peccatorum per Baptismum Christi. *Quòd consummatum fuit per Sponsum initiabatur per paranymphum.*

3. Baptizati Baptismo Joannis baptizabantur denuò Baptismo Christi, *Act.* 19. 5.

Obj. Apostoli baptizabantur à Joanne, nec dicuntur de integro baptizati fuisse à Christo. Respondeo, Christus qui lavit eorum pedes non defuisset Ministerio eos baptizandi, per quos baptizaturus erat Mundum.

4. Christus baptizabatur, non ut ablueretur caro ejus purissima, sed ut ablueret aquas, eásque aliis baptizandis sanctificaret. 2. Licèt ipse à Peccatis purus erat, tamen ejus Natura in aliis suppositis erat depravata, atque adeo ratione illorum abluenda. Christus erat baptizatus, ut totum veteranum Adam aquæ immergeret. 3. Ad complendum omnem justitiam. Hæc autem est justitia, ut quod alterum facere velis prior ipse incipias, & tuo alios horteris exemplo. 4. Ut Baptismum Joannis comprobaret.

5. Spiritus sanctus formavit veram columbam in quâ appareret, licèt eam non assumpserit in Unitatem Personæ.

6. Spi-

6. Spiritus ſanctus deſcendit viſibiliter ſuper Chriſtum, ut oſtendatur eum eſſe revera licèt inviſibiliter deſcenſurum ſuper omnes qui non ficto animo accedunt ad Baptiſmum.

SECT. VII.

De Converſatione CHRISTI.

Chriſtus vitam egit non ſolitariam ſed inter homines, nec auſteram ſed victu & veſtitu ut alii. Pauper etiam fuit, & Legis Moſaicæ obſervator.

1. Vitam egit inter homines ad fines Adventus ejus in Mundum expediendos. Hi erant 1. Manifeſtare Veritatem, *Jo.* 18. 37. Ergo debuit publicè prædicare. 2. Homines à Peccatis liberare; itaque perambulare incubuit & quærere pereuntem, ſicut Paſtor Ovem perditam, & ſicut Medicus accedit ad infirmum. Ac licèt Chriſtus poterat omnes ad ſe trahere in unum locum, non tamen per hoc nobis exemplum reliquiſſet. 3. Chriſtus venit ut per ipſum habeamus acceſſum ad Deum; at familiariter cum hominibus converſando fiduciam omnibus dedit ad ipſum accedendi.

2. Chriſtus cibo & potu ut alii, utebatur. Cùm enim ei cum hominibus converſandum eſſet, conveniens erat ut ſe iis in converſatione conformet, 1 *Cor.* 9. 22. Infirmis quaſi infirmus factus ſum, ut infirmos lucrifacerem. Itaque dicitur *Mat.* 11. 19. Venit Filius hominis manducans & bibens, *i. e.* utebatur victu Judæorum. Joannes nec manducavit nec bibit, *i. e.* veſcebatur aliter quàm Judæi, nimirum locuſtis & melle agreſti.

3. Chr-

3. Christus elegit pauperem vitam. 1. Ut commodiorem officio prædicantis, cui vacandum est à Mundanis, *Mat*. 10. 9. 2. Corporali suâ paupertate spirituales nobis meruit divitias, sicut vitam spiritualem Morte suâ temporali. 3. Ne cupiditati Prædicatio ejus ascriberetur.

4. Christus secundum Legem vixit, 1. Ut Legem veterem comprobaret. 2. Ut eam observando consummaret, ostendens quòd ad ipsum erat ordinata. 3. Ut Judæis occasionem calumniæ subtraheret. 4. Ut homines à servitute Legis liberaret.

Obj. Quomodo Christus vixit secundum Legem cùm homini sanato mandaverit in Sabbato ut lectum suum tollat? Et cùm excusaret Discipulos de vellendo spicas? Respondeo, Ostendit Dominus tripliciter, se non violâsse Mandatum de Sabbato, 1. Illo Præcepto vetatur opus humanum non divinum. Nam Deus licèt quievit à Creatione Die septimâ, in eâ tamen Mundum conservavit. Jam Miracula sunt opera Divina. Itaque dicit, Pater meus usque operatur & ego operor. 2. Illo Præcepto non vetantur opera necessaria etiam ad salutem corporalem, *Luc*. 13. 15. Quis vestrum non solvit bovem in Sabbato? 3. Illo Præcepto non vetantur opera pertinentia ad Dei cultum, *Mat*, 12. 5. Nonne legistis in Lege? *&c*. Paralyticum verò portare lectum ad laudem divinæ virtutis pertinebat.

SECT.

SECT. VIII.

De Jejunio & Tentatione CHRISTI.

Christus post Baptismum jejunavit 40. *dies* & 40. *noctes in deserto*, & *postea esuriens à Diabolo tentatus est*, &c.

1. CHristus tentationi futuræ præmisit jejunium. 1. Propter exemplum; non jejunio indigens, sed nos instruens quòd per jejunium oportet nos contra tentationes armari. Itaque jejunium ponitur inter arma justitiæ, 6 *Cor.* 6. 5. 2. Ut ostendat Diabolum aggressurum esse jejunantes sicut aliis etiam bonis operibus vacantes. 3. Post jejunium sequuta est esuries, quæ dedit Diabolo audaciam eum aggrediendi.

2. Non jejunavit Christus ultra exemplum Mosis & Eliæ, ne incredibilis videretur carnis assumptio.

3. Christus non fuit tentatus à carne aut à Mundo; nam tales tentationes sunt cum delectatione, & non sine Peccato. Se autem à Diabolo tentari passus est: 1. Quia tentationes nostras suis tentationibus vicit, sicut suâ Morte nostram. 2. Ad monendum ne quantumcunque sancti putemus nos esse securos à tentatione Diaboli. 3. Ut nobis exemplo sit, ostendendo quomodo tentationes Diaboli vincamus. 4. Ut nobis fiduciam det de suâ Misericordiâ, *Heb.* 4. 15. Non habemus Pontificem qui non possit compati.

Obj. Tentatio est opus Diaboli, at Christus venit ad opera Diaboli dissolvenda, ergo non ut ea patiatur. Respondeo, Christus opera Diaboli dissolvit ea patiendo, *i. e.* dissolvit non potestate sed justitiâ.

Obj. 2.

Obj. 2. Tentare eſt neſcientis, at Diabolus novit Chriſtum eſſe Filium Dei, *Luc.* 4. 41. Reſpondeo, Diabolus tantum de Chriſto novit quantum Chriſtus voluit, *i. e.* per Mira quædam putavit eum eſſe Filium Dei; at ab eſuritionem & infirmitates corporeas dubitavit.

SECT. IX.

De Doctrinâ CHRISTI.

Chriſtus docuit in Synagogis Judæorum, Luc. 4. 14.

1. CHriſtus prædicavit ſolis Judæis. 1. Ut oſtendat per ſuum adventum udimpletas fuiſſe Promiſſiones Patrum, quæ quidem factæ ſunt Judæis & non Gentibus, *Rom.* 15. 8. 2. Quæ à Deo ſunt, ordinata ſunt, debuit ergo Doctrina Chriſti priùs pateſieri Judæis (qui Deo erant propinquiores per fidem & cultum unius Dei) quàm Gentibus Idololatris. 3. Ut Judæis præriperet materiam calumniandi. 4. Chriſtus meruit Dominium ſuper Gentes per Paſſionem, ideoque ante Paſſionem noluit Gentibus prædicari Doctrinam ſuam.

Obj. Eſa. 49. 6. Dedi te in lucem Gentium. Reſpondeo, Et erat per Diſcipulos ſuos. Aliqui tamen Gentilium admiſſi ſunt (ut Mulier Samaritana, *&c.*) ob excellentiam Devotionis & Fidei, & ne ſpes præcluderetur.

2. Chriſtus in docendo non vitavit offenſionem Phariſæorum, *&c.* Quippe 1. Qui obſtinatè reſiſtebant Evangelio. 2. Doctrina ejus erat in communem omnium ſalutem quæ præferenda eſt Paci quorumcumque ſin-

singularium hominum. 3. Quia per hoc Doctrina ejus promota fuit, Populo minus à Pharisæis abducto, cùm eorum vitia innotescerent.

Obj. Nos jubemur non offendere, at Christus erat nobis exemplar. Respondeo, Non debemus offendere culpâ nostrâ, at si scandalum oritur de Veritate, scandalum potiùs est sustinendum quàm Veritas relinquenda.

Obj. 2. Seniorem ne increpeveris, 1 *Tim.* 5. 1. Respondeo, Si est senior ut ætate vel authoritate, sic moribus etiam. Respondeo 2. Pharisæi non erant Ordines constituti à Deo, itaque nec immunes à justis correptionibus. Nec reperitur ullum Christi maledictum in Sacerdotem aut supremum aut subordinatum. Respondeo 3. In acrimoniâ reprehensionum Christum modestè imitari debemus, novit enim ille corda hominum, nec potuit errare, nos deceptionibus proni sumus, & sæpe vitiis nostris acti invehimur in vitia aliorum.

3. Jesus prædicavit publicè, *Jo.* 18. 20. *i. e.* tenebrosa Conventicula non celebravit. *Obj.* Parabolis obscuravit Doctrinam suam vulgo. Respondeo, Quia Populus nondum erat caput nudæ Veritatis, ad quam tamen intelligendam per Parabolas parabatur.

4. Non habetur in Canone, Christum Doctrinam suam reliquisse scriptam. 1. Ob ejus dignitatem, quem per Ministros scribere par erat. 2. Ob eminentiam Doctrinæ cujus Mundus non erat statim capax, *Jo. ult.* Sunt & alia multa quæ fecit Jesus, *&c.* Ubi Sanctus Augustinus; Non spacio locorum credendum est ea capi non posse, sed capacitate legentium comprehendi fortasse non posse. 3. Si Christus ipse quicquam in scriptis reliquisset, ad hoc solùm attendissent Christiani, & in mille varietates sensuum distraxissent,

Expositiones Apostolicas minimè curantes. Imò ipsi Discipuli Christi non scripsere nisi postquam cordibus hominum Doctrinam Evangelicam longè latéque inseverint; per hoc monentes Ecclesiam, ut recipientes scripta receptæ Doctrinæ perfectè conformia non exercerent ingenia sua in Doctrinas è textibus eruendo, sed Doctrinam receptam diligenter tueantur testimoniis Scripturarum.

SECT. X.

De Miraculis CHRISTI.

Christus Doctrinam suam Miraculis probavit.

1. CHristus docuit ut habens authoritatem (*Mat.* 7. 29.) *i.e.* ut Dominus Legis. Miracula etiam fecit ut Dominus Naturæ. Apostoli omnia fecere Nomine Christi, Christus omnia suo Nomine; se Deum esse & docens & probans. Ac de Miraculis quidem est fusè dictum primâ parte. Quod videtur restare est dispicere

2. Cur Christus antequam Miraculum vellet facere, fidem requisivit eorum, quorum gratiâ Miraculum faciendum esset. Respondeo, 1. Fides non exigebatur tanquam cooperatura cum Christo, aut quòd esset ullo modo instrumentum, aut quamcumque exerceret efficientiam in Miraculo efficiendo. Nam 1. Multa fecit Christus miracula in subjectis non capacibus Fidei, ut cùm aqua fieret vinum, panes multiplicarentur, *&c.* 2. Christus miraculum sæpe fecit in uno homine propter fidem alterius, ut cùm sanaret servum Centurionis, *&c.* 3. Fides quæ possit efficientiam exercere in sanando

ſanando corpore deberet eſſe firma & flagrans poſſeſſio animæ, at Chriſtus accepit fidem quaſi granum ſinapis. Fidem ejus amplexus eſt, qui dixit, Tu Domine juva incredulitatem meam. Quamlibet exiguam diſpoſitionem ad credendum Fidei nomine dignatus eſt.

3. Reſpondeo 2. Chriſtus ut faceret miraculum requiſivit Fidem tantùm in commendationem Perſonæ, *i. e.* ut diſpoſitionem moralem quæ hominem redderet capacem tantæ gratiæ, *Luc.* 7. 6. *Mat.* 16.

4. Ut hoc clarius fiat, obſerva finem præcipuum miraculorum Chriſti fuiſſe, ut mundo fidem faceret de ſe. Et quod ſatis erat ad hunc finem Chriſtus qui venit ad ſalutem omnium omnibus miracula oſtendit, *Mat.* 16. 4. *Act.* 14. 17. Erat præterea finis miraculorum inferior, ſcilicet particularium hominum liberatio à malis temporalibus ut ſanatio ægrorum, *&c.* Et miracula ut huic fini deſervientia non fiebant ordinariè, niſi bono non immerentium (*Mat.* 16. 4.) ut patet in converſione aquæ in vinum, in multiplicatione Panum, in ſuſcitatione Lazari, *&c.* Sic dicitur *Mar.* 6. 5. Non poterat ullum magnum opus ibi facere ob eorum infidelitatem, *i. e.* indigniſſimi erant pro quibus faceret, itaque noluit, nec potuit quidem per Legem à ſe poſitam de non objiciendo Gemmas Porcis.

SECT. XI.

De Transfiguratione CHRISTI.

Jesus transfiguratus est, &c. Mat. 17. 1.

1. VEritas Corporis in transfiguratione permansit, sed facies vestisque cœlesti splendore ornabantur.

2. Videtur Christus in transfiguratione ostendisse Discipulis, qualis futurus est tempore Judicii, *Mat.* 16. 28.

3. Anima Mosis non resumpsit Corpus suum (nam Christus erat primitiæ Resurrectionis) sed apparuit in aliquo corpore sicut Angeli apparent. Elias autem descendit cum Corpore suo non de cœlo empyræo, sed de sede suâ.

4. In transfiguratione Moses & Elias adhibiti sunt multis de causis. 1. Quia Populus putavit Christum esse Eliam aut Jeremiam, *&c.* itaque adduxit capita Prophetarum ut saltem hinc appareat differentia servorum & Domini. 2. Legislatorem & Zelotam pro gloriâ Dei Prophetam secum ducens damnat calumniam Judæorum, qui in eum ut violatorem Legis & gloriæ Dei Usurpatorem grassabantur. 3. Mosem mortuum & Eliam viventem secum ducens ostendit se esse Dominum Vitæ & Mortis, vivorúmque & mortuorum Judicem. 4. Apparitione Mosis & Eliæ excitantur Discipuli ad imitandum Mosis mansuetudinem & zelum Eliæ. 5. Christus per hoc ostendit se fuisse prædicatum per Legem, quæ erat à Mose, & per Prophetas, inter quos præcipuus erat Elias.

SECT. XII.

DE Passione CHRISTI.

Christus passus est & crucifixus sub Pontio Pilato Symb.

1. PAssio Christi erat necessaria necessitate convenientiæ; 1. Ex Parte nostrâ qui per eam redimimur, *Jo.* 3. 14. 2. Ex Parte Christi, qui per humilitatem Passionis meruit gloriam exaltationis. 3. Ex Parte Dei, cujus diffinitionem circa Passionem Christi prænunciatam in Scripturis & præfiguratam in Lege, oportebat impleri, *Luc.* 24. 44.

2. Passio Christi non erat absolutè necessaria ad liberationem hominum. Nam Deus Omnipotens potuit sine ullâ satisfactione Peccata hominum dimittere. Quippe, cùm propter ipsum sint omnia, cui injuriam fecisset? Itaque David dicit, *Ps.* 53. 4. Tibi soli Peccari, *i. e.* potes sine injustitiâ mihi dimittere. Non sic terrenus Judex, cui incumbit rationem habere & communitatis & gloriæ Dei.

Obj. Mat. 26. 39. O mi Pater, si est possibile, transeat hic calix. Respondeo, Suppositâ præordinatione divinâ, non erat possibile.

3. Non potest excogitari alia via Reparationis humanæ tam conveniens quàm per satisfactionem Christi. 1. Homo hinc cognoscit eximiam Dei φιλανθρωπίαν. 2. Christus patiendo dedit nobis exemplum humilitatis, constantiæ & cæterarum virtutum, quas ille patiens ostendit, & quæ saluti nostræ sunt necessariæ, 1 *Pet.* 2. 21. 3. Christus per Passionem non solùm à Peccatis nos liberavit, sed etiam gratiam & gloriam nobis me-

meruit. 4. Qui ſe ſic liberatum cogitat, ſervat ſe magis immunem à Peccato, 1 *Cor.* 6. 20. 5. Diabolus victus per hominem humani generis dignitatem reparavit, 1 *Cor.* 15. 57.

Obj. Natura imitatur Deum, at in eâ nihil fit per duo quod poteſt fieri per unum. Itaque Reparatio noſtra quæ poterat fieri ſolâ Dei Voluntate, non debuit ultra adhibere Paſſionem Chriſti. Reſpondeo, Etiam in Naturâ ſunt duo oculi ad videndum, cùm tamen viſio poſſit fieri per unum. Nec tamen eſt Deus coarctandus intra limites Naturæ.

4. Licèt conſideratâ Dei Omnipotentiâ plenóque jure in omnia concedatur eum potuiſſe hominem aliter reparare quàm per Paſſionem Chriſti, non puto tamen ullum alium modum nobis quidem cogitabilem eſſe, dum conſideramus juſtitiam Dei cui ſatisfacere per noſmet non potuimus. Nec per ſatisfactionem minuitur gloria miſericordiæ divinæ; quippe quæ ſatisfactorem exhibuit, *Rom.* 3. 24. Quin ſic nos reparare abundantioris fuit miſericordiæ, quàm si Peccata abſque ſatiſfactione dimisiſſet, *Eph.* 2. 4.

5. Chriſtus paſſus eſt in Cruce; 1. Ut crudelis & infamis ſuæ mortis genere oſtendat nobis in officio peragendo non eſſe abhorrendum nec à morte nec à genere mortis. 2. Peccatum primum erat vetita decerptio ex arbore, argo in arbore pro eo ſatisfaciendum fuit. 3. Crucifixus conſecravit ut effusione ſanguinis terram, sic ſuſpensione in alto aerem. 4. Per exaltationem in crucem paravit nobis aſcenſum in cœlum, *Jo.* 12. 32. 5. Hoc genus mortis plurimis figuris reſpondet. Per arcam ligneam ſervatus eſt Noah. Virgâ ligneâ divisit mare rubrum ad liberationem Iſraelitarum, &c.

Obj

Obj. Christus erat benedictus, at pendens in arbore erat maledictus. Respondeo, Christus erat ideo benedictus, quia se fecit maledictum pro nobis, *Galat.* 3. 13.

6. Quomodo Christus assumpserit dolorem & tristitiam, dictum est § 3. Magnitudo autem doloris ejus in Passione aspicitur; 1. in causis doloris, quæ fuere læsio corporis acerba & diuturna, tum etiam Peccata mundi pro quibus satisfecit, & quæ quasi sibi ascribit, specialiter casus eum crucifigentium, scandalizatio Discipulorum, tum etiam amissio vitæ corporalis. 2. Dolor Christi ingravescebat ex ejus perceptibilitate, & secundum Corpus & secundum Animam. Corpus ejus fuit formatum à Spiritu sancto, itaque temperamento optimo adeóque sensu tactus vivido. Anima etiam efficacissimè percepit omnes causas doloris. 3. Dolor Christi erat purus ab omni alleviatione per considerationem mentis (quæ aliis subinde usui est) nam superior pars animæ ejus permisit cuique inferiorum virium agere quod sibi proprium est. 4. Passio Christi erat assumpta voluntariè pro liberatione hominum, ideóque tantus erat assumptus dolor, quantus tanto effectui proportionatus erat. Ex quibus omnibus simul sumptis videtur concludi, dolorem Christi fuisse maximum qui possit incidere in hominem, in hac quidem vita.

Obj. Amissio vitæ tam citò recuperandæ non erat adeo dolenda. Respondeo, Vita corporalis Christi ob Divinitatem unitam tanti erat pretii, ut eam amittere in quantum libet parvum tempus majus sit damnum, quàm si alius amitteret vitam in quantumlibet longum tempus. Nec tamen doluit Christus solùm ob amissionem vitæ, sed etiam ob Peccata Mundi. Modus etiam amissionis vitæ erat plenus tormentis. Et quascunque ha-

habuit considerationes non est passus eas descendere in inferiores potentias animæ.

7. Christus est occisus à Persequutoribus suis, tamen dicitur indirectè causa suæ Mortis, quia scilicet eam non vitavit cùm potuit, *Jo.* 10. 18.

8. Christus passus est ex obedientiâ, *Phil.* 2. 8. dices, *Cui mandato?* Erat Mandatum, *Jo.* 10. 18. Non quòd Christus expectaverit audire & doceri, sed declarat voluntarium Processum & Patri consentaneum. Potest etiam dici, Christum patiendo obedivisse Patri, quia Legem patiendo observavit; Moralem quidem quæ fundatur in charitate, quia passus est ex amore Patris (*Jo.* 10. 31.) & Proximi, *Gal.* 2. 12. Ceremonialem etiam Legem implevit, cujus Sacrificia non erant nisi figuræ hujus veri Sacrificii. Implevit etiam Legem judicialem quæ præcipuè ordinatur ad satisfaciendum injuriam passis, *Psal.* 69. 4. *i. e.* permisit se Ligno affigi pro pomo, quod de Ligno homo rapuerat contra Mandatum Dei. Ob has completiones dicitur *Consummatum est*, *Jo.* 19. 30.

9. Pater tradidit Filium ut pateretur; 1. Præordinando Passionem ejus pro liberatione hominum, *Isa.* 53. 6. 2. Non protegendo sed exponendo eum persequentibus, *Mat.* 27. 46. Ut quid dereliquisti me? scilicet in manibus Persecutorum. Pater autem tradidit Christum & Christus seipsum ex charitate, itaque inde glorificantur. Judas autem tradidit eum ex cupiditate, Judæi ex invidiâ, Pilatus ex timore mundano (metuens Cæsarem), itaque inde vituperantur.

10. Populus Judæorum seducti à Principibus, & Principes invidiâ occœcati non viderunt, *i. e.* noluerunt videre Messiam in Christo, 1 *Cor.* 2. 8. *Act.* 3. 17.

11. Pas-

11. Passio Christi nobis comparavit salutem merendo; nam gratia ei data est non solùm ut homini singulari, sed etiam ut Capiti Ecclesiæ, scilicet ut ab ipso redundaret ad Membra.

Obj. Passio non meretur, quia venit ab extra. Respondeo, Meretur ut voluntariè suscepta. Id tamen tenendum est, Christi Passionem vim merendi radicitus habere ex dignitate Personæ, si quidem meritum ex condigno cogitas.

12. Passio Christi nos liberavit per modum satisfactionis. Nam satisfacere pro offensâ est offenso exhibere id quod æquè vel magis diligit quàm oderit offensam. Sed Charitas Christi ponentis vitam majus fuit bonum in oculis Dei, quàm perversitas humani generis fuit malum.

Obj. Debet ipse satisfacere qui offendit. Respondeo, Christus & Fideles faciunt unum Corpus Mysticum, & satisfactio Capitis est satisfactio omnium Membrorum, *Jo.* 22.

13. Passio Christi erat sacrificium, *Eph.* 5. 2. Nam sacrificium est omne id quod fit in honorem Dei ad eum placandum; Passio autem Christi erat opus Deo acceptissimum.

Obj. Immolatio Carnis humanæ damnabatur. Respondeo, etiam effusio sanguinis Christi ex parte occidentium erat maleficium gravissimum, at ex parte Christi se ex charitate offerentis erat sacrificium gratissimum.

14. Passio Christi operata est salutem nostram per modum Redemptionis, 1 *Pet.* 1. 8, 9. *Sed à quo redimimur?* 1. A Diabolo qui nos inducendo in Peccatum, in servitutem justâ Dei Permissione redegit, *Jo.* 8. 34. 2. Redimimur à reatu pœnæ, quo homo obligabatur per Dei justitiam. Ad servitutem enim pertinet, quòd

 ali-

aliquis patiatur quod non vult.

Obj. Si Redemptio est à Diabolo, tum pretium ei solvendum erat. Respondeo, Redemptio est à Diabolo solùm tanquam Tortore.

15. Solus Christus est Redemptor noster, nam solus pretium solvit, nempe vitam suam Corporalem.

Obj. Deus redemit nos. Respondeo, Principaliter solus Deus, at Christus homo immediatè. Christus homo solvit pretium, at Mandato Patris.

Obj. 2. Passiones etiam Sanctorum sunt proficiæ saluti nostræ, *Col.* 1. 24. Respondeo, Passiones Sanctorum prosunt Ecclesiæ non per modum Redemptionis, sed per modum Exempli & Exhortationis, 2 *Cor.* 1. 6.

16. Per Passionem Christi liberamur à Peccatis & præteritis & futuris, ut si Medicus faciat Medicinam quæ possit omnes morbos sanare.

17. Passione Christi liberamur à Potestate Diaboli, *Jo.* 12. 31. Potestas Diaboli stetit in tribus. 1. Merito nostro qui ab eo inducti sumus ad peccandum; at Passione Christi liberamur à Peccatis. 2. Potestas Diaboli pendebat à Permissione Divinâ; at per Passionem Christi Deo reconciliamur. 3. Diaboli nequissima voluntas hominem à consequutione salutis impedivit; at Christus patiendo eum subegit, in quantum Diabolus eum occidit, licèt nihil in eo Morte dignum viderit, itaque justum est ut Debitores quos tenebat liberi dimittantur, nempe credentes in eum quem ille sine ullo debito occîdit.

Obj. Diabolus adhuc tentat animas & vexat corpora hominum; & dicitur quòd tempore Antichristi furiosissimè grassabitur. Respondeo, Deus secundum occultam rationem judiciorum suorum potest permittere

ut

ut Diabolus grassetur in nonnullas Personas, remedium tamen paratum est in Passione Christi, quo si quis uti negligit, is suâ ipsius culpâ perit.

18. Per Passionem Christi liberamur non solùm à reatu sed etiam à pœnâ Peccati; nam exhibitâ sufficiente satisfactione tollitur reatus Pœnæ.

Obj. Damnati non liberantur. Respondeo, Christus sufficientem exhibuit satisfactionem pro omnibus, eam tamen noluit applicari nisi iis qui credunt & obsequuntur Evangelio.

Obj. 2. Pœnitentibus injungitur ulteriùs pœna satisfactoria. Respondeo, Oportet nos Christi configurari, ut consequamur effectum Passionis ejus. In Baptismo configuramur Passioni ejus Sacramentaliter, *Rom.* 6. 4. Itaque baptizatis nulla pœna satisfactoria imponitur, quia sunt totaliter liberati per satisfactionem Christi. Christus autem semel tantum mortuus est, itaque lapsus post Baptismum non potest iterum configurari Morti Christi per Baptismum; sed oportet ut configuretur Christo patienti, per aliquid Pœnalitatis quod in se sustineat; quæ tamen Pœnalitas impropriè dicitur satisfactoria; cùm nullius sit virtutis nisi ex vi satisfactionis Christi, & procedat potiùs ut testimonium Pœnitentiæ quàm ut satisfactio pro Peccato.

Obj. Mors est pœna Peccati, at homines adhùc moriuntur. Respondeo, Mors non est pœna Piis sed Porta Cœli, & relinquitur ut configuremur Christo patienti, qui per Mortem intravit in gloriam.

19. *Rom.* 8. 17. Reconciliamur Deo Passione Christi tum ut remissionem Peccatorum procurante, tum ut offerente sacrificium acceptissimum, cujus opus est placare Deum.

Obj. Deus dilexit nos semper, imò ex amore nostri dedit nobis Christum ut pateretur. Respondeo, Di-

texit nos ut homines, sed non ut Peccatores, *Psal.* 7. 11.

Obj. 2. Occisores Christi erant homines; ergo Deus per Passionem ejus magis fuit provocatus quàm placatus humano generi. Respondeo, Sed & Christus homo fuit, & major erat ejus charitas quàm iniquitas occisorum.

20. Christus patiendo aperuit nobis januam Cœli, *i. e.* sustulit prohibens introitum nempe Peccatum. Tamen non videtur hinc sequi Patres ante Christum non introiisse regnum cœlorum, nam Christus est à principio Mundi quoad virtutem Passionis. Verùm aliunde probabilissimum est Patres conservatos fuisse in medio quodam statu, valde quidem felici non tamen absolutè beato, Christúmque fuisse primitias ut resurrectionis, sic etiam introitus in cœlum. Non est enim servus super Dominum; & oportet ut ministret Domino priùs quàm ipse discumbat.

21. Christus per Passionem meruit sibi exaltationem. Meritum importat æqualitatem justitiæ, *Rom.* 4. 4. Itaque is qui injustâ voluntate plus debito sibi arrogat, is meretur etiam de suo deturbari, sicut cùm furatur quis unam ovem, reddet quatuor. Et qui ex charitate subtrahit sibi quod debuit habere, meretur ut sibi amplius superaddatur. Sic Christus humiliatus est 1. Quoad Passionem & Mortem, cui respondet gloriosa resurrectio. 2. Humiliatus est descendendo in sepulchrum, cui respondet ascensio in cœlum, *Eph.* 4. 9, 10. 3. Humiliatus est quantum ad opprobria quæ sustinuit, cui respondet Sessio ad dextram. 4. In hoc quòd traditus est humanæ potestati, cui respondet potestas judiciaria in vivos & mortuos.

SECT.

SECT. XIII.

De Morte CHRISTI.

Passus est sub Pontio Pilato, crucifixus, mortuus, &c.

1. DEbuit Christus mori 1. Ut luat pœnam peccati, *Gen.* 2. 17. 1 *Pet.* 3. 18. 2. Ad ostendendum veritatem naturæ assumptæ, nam si Mortem fugiens evolâsset, phantasmati comparatus fuisset. 3. Ut moriendo nos à timore mortis liberet, *Heb.* 2. 14. 4. Ut corporaliter moriendo pœnalitati quæ est similitudo Peccati, det nobis exemplum spiritualiter moriendi peccato, *Rom.* 6. 10, 11. 5. Ut à mortuis resurgendo virtutem suam ostendat quâ mortem superavit, & spem etiam nobis det à Mortuis resurgendi, 1 *Cor.* 15. 12.

Obj. Christus est fons vitæ, quomodo ergo obnoxius morti? Respondeo, Christus est fons vitæ ut Deus, moriebatur ut homo.

Obj. 2. Christus non erat obnoxius Morbo, ergo nec Morti. Respondeo, Ergo nec Morti è Morbo, quæ est Mors necessaria. Christus autem occisus est ab extra, voluntariè.

2. In morte Christi non fuit separata Divinitas aut ab animâ aut à carne. Nam Dona Dei sunt sine pœnitentiâ. Itaque nos non amittimus gratiam Adoptionis nisi nostrâ culpâ; multò minùs Christus in quo nullum erat peccatum, amisit gratiam Unionis personalis. Corpus ergo & anima Christi sperata substitêre eâdem subsistentiâ, quá subsistebant unita.

Obj. Corpus uniebatur Divinitati mediante animâ, ergo seperatum ab animâ non erat unitum Divinitati. Re-

Respondeo, Anima non erat medium quid ligans Divinitatem & Corpus, sed erat ratio cur Corpus sit unibile Divinitati, nempe quòd sit dispositum ad animam humanam; sicut etiam in morte ex divinâ constitutione remanet quidam ordo ad resurrectionem.

Obj. Quomodo Corpus non viveret unitum Deo? Respondeo, Deus vivificat effectivè, non autem formaliter; nec enim potest esse forma Corporis.

Obj. 3. Jo. 10. 18. *Pono animam meam.* Caro non potuit aut ponere aut sumere animam, ergo verbum eam posuit, ergo seperabantur. Respondeo, Caro posuit & sumpsit, non virtute suâ sed verbi.

3. In triduo mortis Christus non fuit homo, nam non fuit animal aut vivens; nisi velis dicere quòd erat homo mortuus. Et hoc quidem plus significat de Christo quàm de alio homine mortuo. Nam Corpus Christi erat simpliciter idem vivum ac mortuum, quia idem supposito; non tamen erat idem totaliter quia non erat vivens. Non sic nostra corpora quæ amissis animabus alias formas induunt, & alia constituunt supposita; itaque non sunt mortua eadem quæ viva nisi secundum materiam.

Obj. Christus erat Sacerdos in æternum, ergo in triduo; ergo erat in triduo homo. Respondeo, Character Sacerdotii erat in animâ, itaque non amittebatur in triduo.

SECT. XIV.

SECT. XIV.

De Sepulturâ CHRISTI.

Et Sepultus

1. CHristus fuit sepultus; 1. In evidentiam mortis, non enim sepeliunt nisi eos de quorum morte constat, *Mar.* 15. 44. 2. Surgens è Sepulchro facit spem Resurrectionis eorum qui sunt in sepulchris, *Jo.* 5. 25. 3. In exemplum eorum qui spiritualiter moriuntur peccatis, & per Baptismum consignant hoc, Christo consepulti per immersionem, *Rom.* 6. 3.

2. Virtus divina conservavit Corpus Christi sine ullâ corruptione, *Psal.* 16. 10.

3. A vesperâ sepulturæ ad diluculum Resurrectionis erant 36 horæ, *i. e.* nox tota cum die totâ & nocte totâ. *Quomodo ergo jacuit triduum in sepulchro?* Respondeo, Scriptura ponit totum pro parte. Primus dies censetur ab extremâ sui parte, secundus erat integer cum 24. horis nocturnis & diurnis. Nox autem sequens pertinebat ad tertiam diem.

SECT.

SECT. XV.

De Descensu CHRISTI ad Inferos.

Descendit in Infernum, &c.

1. STatuitur in Scholâ animam Christi fuisse per realem Præsentiam in inferno superiori seu limbo Patrum; non autem nisi per effectum in inferno damnatorum, eos scilicet confutando seu potiùs de iis triumphando ostensione Passionis. Christum aiunt descendisse ad limbum Patrum, ut Patres ibi detentos ob peccatum Originale secum ducat in beatitudinem.

2. Hunc limbum appellant, puto respectu Cœli infernum; respectu verò inferni erat quasi cœlum, nam nulla ibi erat pœna sensus. Patres etiam ibi magno cum gaudio fruebantur spe gloriæ (*Jo.* 8. 56) & multabantur solùm hujus spei dilatione.

Obj. Augustin. ad Evodium, *Illis justis qui in sinu erant Abrahæ, cùm Christus in inferiora descenderet, nondum quid contulisset inveni, à quibus eum secundum beatificam præsentiam Divinitatis nunquam video recessisse.* Respondet *Aquinas*, Quòd erant beati spe licèt non re; itaque Christus descendens nihil iis contulit quantum ad jus gloriæ, at in gloriæ adeptione multum.

3. Calvinus, ut est ubique severus, videtur Christi animam etiam tormentis inferni subjicere. Quod omni rationi adversatur; Christus enim non potuit pati nisi pro Peccatis nostris, pro quibus moriendo abundè satisfecit.

4. Alii

4. Alii per descensum Christi ad inferos nihil intelligunt, nisi quòd communem Mortuorum conditionem subivit. Antiqui videntur Articulum intellixisse de reali Descensu animæ, quod cum priori satis convenit, scilicet ut sensus sit, Christum ut Legem Mortis prorsus observet, etiam secundum animam descendisse eò ubi animæ è cœlo detentæ servabantur. Interea certus hujus Articuli sensus intercidisse videtur. Nec ipse quidem Articulus adhibebatur in antiquissimis professionibus Fidei, ut luculenter ostendit Personus in Symbolum.

5. Sed quomodo dicit Dominus Latroni, *Hodie mecum eris in Paradiso?* Respondet Aquinas, Paradisum spiritualem ibi intelligi, in quo dicuntur esse qui perfruuntur divinâ gloriâ. Itaque Latronis anima erat loco cum animâ Christi in inferno ut cum Christo esset, at conditione erat in Paradiso, *i. e.* gloriâ Dei perfruebatur. Sed satis de his divinationibus, pergamus ad id de quo undiquaque constat.

SECT. XVI.

DE Resurrectione CHRISTI.

Christus tertio die resurrexit secundum Scripturas.

1. NEcesse fuit Christum resurgere; 1. Ex justitiâ Dei, quia se humiliavit usque ad Mortem Crucis. 2. Ad confirmationem Fidei nostræ, nisi enim sic resurrexisset, putatus fuisset Impostor. 3. Ut ex capitis nostri resurrectione nostrammet resurrectionem speremus. 4. Ad informationem vitæ Fidelium, *Rom.* 6. 4. Sicut Christus suscitatus est à Mortuis per gloriam Patris, sic nos etiam debemus ambulare in no-

vitate vitæ. 5. Ut compleat salutem nostram. Moriendo mala dispulit, resurgendo ad bona promovet.

2. Christus non resurrexit statim, ne videretur non verè mortuus; & quia post triduum nemo dubitat de Morte, ideo non distulit longiùs resurrectionem.

3. Christus primus resurrexit à Mortuis absolutè, *i. e.* sicut nunquam denuo moriturus, 1 *Cor.* 15. 20. Lazarus & alii resurrexerant ante Christum à Morte actuali, sed non à potentiâ Mortis cui iterum succumbendum fuit.

4. Anima Christi resumpsit corpus & corpus animam, non vi naturæ creatæ sed Divinitatis unitæ. Itaque etiam Christus resurrexit & suâ vi & Patris, quia eadem numero est trium Personarum potentia.

5. Corpus Christi post Resurrectionem fuit verum & non phantasticum; alioqui enim Resurrectio non fuisset vera.

Obj. Quomodo ergo potuit introire ad Discipulos per ostia clausa? Respondet S. Augustinus, *Si comprehendis modum, non est Miraculum. Ille quippe non iis apertis intrare potuit, quo nascente Virginitas Matris inviolata permansit.*

Obj. 2. *Si verum fuit corpus, quomodo evanuit ab aspectu Discipulorum?* Respondeo, Visus est quando voluit & non sæpius.

Obj. 3. *Quomodo apparuit in alienâ effigie?* Respondeo, Vultus substantiam non perdidit; nihil enim erat à Spiritu sancto formatum in corpore Christi quod in Resurrectione fuit emendandum. Sed acquisivit corporis claritatem unde quamcumque voluit speciem impressit in oculos intuentium. Modica tamen differentia sufficit ad hoc quòd aliquis videatur in alienâ effigie apparere.

6. Cor-

6. Corpus Christi post Resurrectionem erat integrum, *i. e.* constabat ex omnibus partibus quæ ad naturam Corporis ejus pertinebant. *Quid dicemus de sanguine emisso?* Totum resumpsit. *Num & alios humores phegma scilicet choleram, &c?* Resumpsit omnia quæ pertinebant ad naturam, quod autem tendebat ad corruptionem Deus abstulit.

Obj. Caro & sanguis non possidebunt Regnum Dei, 1 *Cor.* 15. 50: Respondeo, Non quidem possidebunt quomodo sunt in nobis, *i. e.* in viâ ad corruptionem.

7. Omnino credendum puto, Corpus Christi resurrexisse gloriosum. Nam 1. Resurrectio Christi est exemplar nostræ Resurrectionis, Sancti autem resurgent gloriosi, 1 *Cor.* 15. 42. 2. Per humilitatem Passionis meruit gloriam Resurrectionis. 3. Si anima Christi fuerat gloriosa à conceptione (ut plerisque certum est in Scholâ) tum dispensativè tantùm factum fuit, quòd gloria non statim redundaverit ab animâ in corpus, scilicet ad hoc ut pro nobis pati posset; peractâ autem Passione anima videtur in resumptum corpus statim derivâsse gloriam suam. Corpus Christi post Resurrectionem fuit ejusdem naturæ sed alterius gloriæ.

8. Christus apparuit suis Discipulis sine claritate ad eorum fidem confirmandam. Eodem fine edit & bibit; non ex indigentiâ cibi, sed ex potestate gloriosâ quâ potuit facere ea quæ ad Naturam pertinent, licèt ad nullum opus Naturæ exequendum.

9. Corpus Christi est resumptum ab animâ cum cicatricibus; 1. Propter gloriam Christi perpetuum victoriæ suæ triumphum circumferentis. 2. Ad confirmandum Discipulis Resurrectionem. 3. Per harum ostensionem Patri pro nobis supplicat. 4. Ut indiciis

mortis suæ ostensis suos moneat quantâ cum misericordiâ fuerint adjuti. 5. Ut in judicio denunciet impiis quàm justè damnentur. *August. l. 2. de Symb. c. 8.* Ut convincens eos veritas dicit. Ecce hominem quem crucifixistis, videtis vulnera quæ infixistis, agnoscitis latus quod pupugistis, quoniam per vos & propter vos apertum est, & tamen intrare noluistis.

10. Resurrectio Christi non manifestabatur immediatè omnibus, (nam hoc fuisset salutem iis per vim afferre) sed tantùm testibus à Deo præfinitis, *i.e.* quibus Deus voluit uti ut testibus sufficientibus ad omnes in fidem attrahendos, qui quidem non contra rationem aures eorum testimonio obturaverint.

11. Christus apparuit Discipulis post Resurrectionem, quantum satis fuit ad eos certos faciendos de ejus Resurrectione; non autem cum iis continuè & familiariter conversatus est ut antè, quia vitam gloriosam assumpserat, nec communibus Mortalitatis congressibus contaminandam. Non est autem dùbium, quin multò sæpius apparuerit, quàm in Scripturâ sacrâ explicatè notatum est, *Jo.* 20. 30.

12. Dominus apparuit duobus Discipulis in aliâ effigie, quia eorum Fides de eo cœpit tepescere, *Luc.* 24. 21. Greg. Homil. 23. *Talem se iis exhibuit in corpore qualis apud illos erat in mente. Quia enim adhuc in eorum cordibus peregrinus erat à Fide, ire se longiùs finxit, scilicet ac si esset peregrinus.* Cæteris autem Discipulis apparuit clarè & cum potestate.

13. Christus resurgendo applicuit nobis Merita Passionis; itaque ejus Resurrectio est causa salutis nostræ non meritoria sed efficiens. Eam autem efficit 1. In quantum omnimodâ suâ potestate jus nostrum ad Merita sua Christus asserit & tuetur. 2. In quantum Spiritum suum mittit in corda nostra, gratiamque nos

Deo

Deo gratos facientem infundit, *Rom.* 4. 25.

SECT. XVII.

De Ascensione CHRISTI.

Ascendit in Cœlum.

1. LOcus debet esse proportionatus locato; ergo Christo Victori Curia triumphalis cœli debita fuit.

Obj. Videtur hoc damno nostro factum. Respondeo, Licèt humanitatem suam nobis subtraxerit Christus, tamen præsto est ejus Divinitas. Imò Ascensio ejus nobis utilior est quàm fuisset Præsentia corporalis. Nam 1. Dat locum Fidei quæ est de non visis ejúsque valorem auget; *Jo.* 20. 29. 2. Christus naturam humanam in Cœlo collocans, dat nobis spem eò perveniendi, *Jo.* 14. 3. 3. Erigit amorem nostrum in cœlestia, *Col.* 3. 1. *Mat.* 6. 21.

Obj. 2. Ascendere est ad aliquid acquirendum, at Christo nihil accrevit nec secundum animam nec secundum corpus, utpote jam glorificato. Respondeo, Nihil accrevit eorum quæ sunt de Essentiâ gloriæ; at accrevit decentia loci quæ est quasi de bene esse gloriæ. Et de hâc acquisitione gaudium habuit Christus, non quasi nunc incipiens gaudere, sed quia novo modo de hoc gavisus est, scilicet ut de re impletâ. Hinc tamen videtur sequi glorificationem Christi non fuisse prorsus completam ante Ascensionem.

2. Licèt locus cœlestis statim debebatur Christo post Resurrectionem, tamen distulit Ascensionem donec fidem fecisset de Resurrectione, *Act.* 1. 3.

3. Chri-

3. Christus ascendit solùm quà homo, idque virtute & suâ & Patris. Aug. 22. De civit. Dei. *Erit tanta obedientia corporis gloriosi ad animam beatam, ut ubi volet Spiritus ibi protinus erit corpus.* Sicut autem corpus efficitur gloriosum participatione animæ, ita participatione Dei fit anima beata. Christus ergo ascendit in cœlum. 1. Virtute divinâ animam beatificante. 2. Virtute animæ beatæ moventis corpus prout vult. Eadem autem est virtus Patris & Filii, itaque ascendit virtute & suâ & Patris.

4. Christus ascendit supra omnes cœlos, *Eph.* 4. 10. Nam corpus ejus est maximè gloriosum, ergo oportet quod sit supra omnia corpora constitum in alto.

Obj. Quomodo tum est visum à Paulo? 1 *Cor.* 15. 8. Ubi hæc visio adducitur ad confirmationem Resurrectionis, quod non præstaret, nisi verum Christi corpus ab Apostolo visum fuisset. Respondet Aquinas, Quòd Christus semel ascendens in cœlum, adeptus est perpetuum jus & dignitatem Mansionis cœlestis; quòdque huic dignitati non derogat, si ex aliquâ dispensatione Christus quandoque corporaliter in terram descendat, ut fecit in gratiam Pauli, & faciet in Judicio Supremo.

5. Corpus Christi est supra omnem creaturam spiritualem, non ex naturâ corporis, sed ex gloriâ Unionis hypostaticæ, *Eph.* 1. 21.

6. Ascensio Christi est causa nostræ salutis, non meritoria sed efficiens; idque respectu & nostri & Christi. Respectu nostri ascensus Christi efficit salutem nostram; 1. Quia dat locum fidei spei & charitati, ut dictum est *n.* 1. 2. Quia Ascensio Christi auget reverentiam ad ipsum, dum non consideramus eum ut hominem terrenum, sed ut Deum cœlestem, 2 *Cor.* 5. 16. Iterum Ascensio Christi est causa salutis nostræ ex parte

te Chriſti; 1. Quia Chriſtus aſcendens præparat nobis viam in cœlum & manſionem ibidem, *Jo.* 14. 2. Eſt enim caput noſtrum, & par eſt ut membra caput ſequantur, *Jo.* 14. 3. 2. Sicut in Lege Pontifex intrabat Sanctuarium, ut aſſiſteret Deo pro populo; ita etiam Chriſtus intravit cœlum ad interpellandum pro nobis, *Heb.* 7. 25. Ipſa enim repræſentatio naturæ humanæ quam in cœlum intulit eſt quædam interpellatio pro nobis, ut ex quo Deus ſic exaltavit humanam naturam in Chriſto, etiam eorum miſereatur pro quibus illa humana natura ſuſcepta eſt. 3. Ut Chriſtus in cœlorum Sede ut Deus & Dominus conſtitutus exinde divina dona ad homines mittat, *Eph.* 4. 10. *Ut adimpleat omnia*; Gloſſa dicit, *ſcilicet donis.*

SECT. XVIII.

De Seſſione CHRISTI ad Dextram.

Sedet ad dextram Dei: Symb. Ap:

1. LOcus dexter apud homines eſt potiſſimus, itaque dextra Dei ſignificat gloriam ſeu beatitudinem. Præpoſitio *Ad* importat acceſſum, in quo deſignatur convenientia cum quadam diſtinctione: Sedere importat quietem ſeu ſecuram poſſeſſionem, regiam etiam ſeu judiciariam poteſtatem, *Prov:* 20. 8.

2. Chriſtus ſecundum Divinitatem ſedet ad dextram Dei Patris, quia Filius eâdem fruitur gloriâ & dominio cum Patre. Itaque *Ad* ibi deſignat diſtinctionem ſolùm perſonalem. De Chriſto Θεανθρώπῳ pariter loquendum eſt, ob Unitatem Perſonæ: Sed Chriſtus homo quoad conditionem naturæ humanæ ſedet ad dextram

Dei

Dei in quantum fruitur donis Paternis potioribus, scilicet præ omnibus aliis creaturis; idque immutabiliter & regaliter quod est proprium Christo, *Heb:* 1. 13.

Obj. Stephanus vidit Christum stantem ad dextram Dei, ergo non sedet. Respondeo, Utraque locutio est Metaphorica & utraque vera. Stare est pugnare vel defendere; sedere est firmiter possidere. Christus ergo quantum ad suam conditionem sedet; quantum ad conditionem suorum in hoc Mundo, stat.

3. Nos etiam erimus ad dextram Dei, *Mat.* 25. 33. Non æquales Christo in beatitudine, sed beatitudinis ejus participes.

SECT. XIX.

De Adventu Spiritus Sancti.

Christiani credunt Spiritum sanctum (ut Christus pollicebatur) descendisse die Pentecostes post Ascensionem proximâ; specie linguarum ignitarum fissarum, & insedisse Apostolis, &c.

1. QUid significet missio & motus divinæ Personæ, vide *§* 2. *n.* 8. hujus Partis. Spiritus sanctus ergo venit, *i. e.* emisit dona sua.

2. Apostoli Missionem suam seu auctoritatem discipulandi omnes Gentes acceperunt à Christo. A Spiritu sancto accipiunt dona eos ad muneribus à Christo concreditis defungendum habiles reddentia. Ut scias omnes qui discipulandi munus sibi arrogant sub solo prætextu instinctuum Spiritus sancti, incedere semitâ sibi propriâ, & Apostolis quibus Christus promisit adesse usque ad finem Mundi nullatenus succedere.

3. Dona

3. Dona Spiritus sancti sunt ordinaria vel extraordinaria. Dona ordinaria dicuntur ea quæ sunt necessaria Ecclesiæ continendæ & propagandæ in omni statu usque ad secundum Adventum Christi. Per hæc Spiritus sanctus adest Ministris Ecclesiæ (etiam ubi non sint viri boni) in Prædicatione Evangelii, Administratione Sacramentorum, Exercitio Clavium, Precibus communibus & omnino omnibus Officiis ad animas in salutem ducendas necessariis. Per hæc Spiritus Sanctus adest Piis eorum corda dirigendo, consolando, *&c.* Et quantum ad hæc Dona Spiritus sanctus permansit usque in Ecclesiâ & ad finem permanebit.

4. Dona quæ appellant Extraordinaria deserviebant Ecclesiæ condendæ, Ecclesiæ verò conditæ non sunt necessaria; qualia erant, loqui linguis antea ignotis, curare Morbos, & prorsus Miracula facere. Nonnulla etiam Officia, ut Apostolorum, Evangelistarum, *&c.* Hujusmodi erant. *Cur non sunt jam Apostoli in Ecclesiâ?* Quia Apostoli immediatè à Christo mittebantur, ut Ecclesiam ædificent; non ut alios Apostolos constituant, non enim tantâ muniebantur auctoritate; sed ut Ordines instituant qui propriis Præcinctibus insistentes Ecclesiam ab Apostolis conditam tueantur & augeant.

5. Quantum ad Miracula, Spiritus sanctus adest Ecclesiæ, non similia Apostolicis Miraculis edendo, sed eadem infallibili traditione confirmando. Quantum etiam ad Officia extraordinaria, Spiritus sanctus adest Ecclesiæ, non eadem continuando, sed Ecclesiam per ea conditam, Ordinésque per ea constitutos conservando.

SECT. XX.

De Poteſtate Judiciariâ CHRISTI.

Hic eſt qui conſtitutus eſt à Deo Judex Vivorum & Mortuorum, Act, 10. 42.

1. PRimæva authoritas judicandi eſt in Deo, & eſt communis toti Trinitati, attribuitur tamen per appropriationem Filio, quia per ſapientiam formatur judicium, & Filius eſt ſapientia Patris. Itaque dicitur, Pater non judicat quenquam, ſed omne judicium dedit Filio. Nam ut Pater facit omnia per Filium ut eſt ars ejus æterna, ſic judicat omnia per Filium ut eſt ſapientia ſeu veritas ejus.

2. Authoritas judicandi communicatur etiam hominibus in ea quæ ipſis ſubjiciuntur, *Deut*. 1. 17. Judicium eſt Dei, *i. e.* à Deo vobis committitur quòd judicetis.

3. Chriſto autem homini debetur Poteſtas judiciaria & propter Divinam Perſonam, & propter dignitatem capitis Eccleſiæ, & propter plenitudinem gratiæ habitualis, tum etiam propter meritum Paſſionis. *Apoc*. 3. 21. Hocque conveniebat ex Parte noſtri; 1. Ut ſit ſuavius judicium hominibus per hominem, *Heb*. 4. 15. 2. Oportebat judicandos (qui ſunt boni & mali) videre ſuum judicem. Reſtabat ergo in judicio ut forma ſervi & bonis & malis oſtenderetur, forma Dei ſolis bonis ſervaretur.

4. Chriſtus judicat principaliter de beatitudine æternâ & æternâ miſeriâ hominum; at ſecundariò eſt Judex omnium rerum humanarum, quatenus ſcilicet cæteræ res humanæ referuntur ad beatitudinem. Cui autem

tem committitur Principale, ei committitur accessorium.

Obj. Quis me fecit Judicem? *Luc.* 12. 14. Respondeo, Erat Christus Rex & Judex omnium, sed Temporalia noluit tractare nisi in ordine ad æterna.

5. Christus homo habet Potestatem Judiciariam super Angelos; 1. Quia humanitas ejus est propior Deo quàm sunt Angeli, atque adeo virtute ejus plenior, *Heb.* 2. 12. 2. Per humilitatem Passionis humana natura meruit exaltationem super Angelos, *Phil.* 2. 10. 3. Angeli operantur circa homines, & horum caput est Christus speciali modo, *Heb.* 1. 14.

6. Subsunt autem Angeli judicio Christi; 1. Quantum ad ea quæ operantur, hæc enim faciunt secundum dispensationem Christi, *Mat.* 4. 11. *Mat.* 8. 31. 2. Quantum ad præmia accidentalia bonorum Angelorum, & Pœnas accidentales Angelorum malorum, *Luc.* 15. 10. *Mar.* 1. 23. 3. Quantum ad præmium essentiale seu beatitudinem æternam bonorum Angelorum, & Pœnam essentialem seu æternam damnationem malorum; sed hoc Judicium tulit ut Verbum Patris.

SECT. XXI.

De Resurrectione Generali.

Christiani credunt quòd hic Mundus, i. e. cursus Naturæ finem habiturus est, & quòd tum omnia corpora hominum mortuorum resuscitabuntur, & suis animabus reunientur.

1. ETiam secundum rationem resurrectio corporis expectanda videtur. Nam homo nec in hâc vitâ, nec in statu animæ separato ad perfectam beatitudinem pervenire potest, ergò nec sine resurrectione. Malè autem factus fuisset homo, si nullo modo posset ad finem illum pervenire, ad quem per naturam anhelat.

2. Idem numero corpus resurget; nam resurrectio est ejus quod cecidit secunda surrectio. Nonnulli tamen dicunt idem fore corpus solùm quia eidem animæ unietur. Unde verò censenda sit identitas corporis quære in Philosophiâ.

Obj. 1 *Cor.* 15. 37. Non corpus quod futurum est seminas, &c. Respondeo, Similitudo non currit per omnia sed secundum aliquid. Triticum nascitur ex corpore mortuo sicut nos resurgemus; at triticum nascitur ex corpore ejusdem speciei, non ejusdem numeri sicut nos resurgemus.

3. Quicquid est de veritate corporis humani resurget; nam corpus ideo resurget, quia erat perfectum animâ rationali; ergo omnia resurgent quæ erant sic perfecta.

Obj.

Obj. Nulli uſui erunt multæ Partes, ut inteſtina & genitalia. Reſpondeo, Eorum uſus erit conſtituere hominem integrum. Inteſtina etiam reſurgent plena non fœdis ſuperfluitatibus, ſed nobilibus humoribus. Ponitur etiam quod capilli & ungues reſurgent, ſcilicet ad ornamentum, *Luc.* 21. 18. Sed quis nunc intelligit exornare corpus glorioſum?

Obj. 2. Coſta Adæ ubi reſurget? Erat enim in duobus. Reſpondeo, Iſta coſta non fuit in Adamo de perfectione individui, ſed ordinata ad propagationem ſpeciei. Itaque non reſurget in Adamo ſed in Evâ, ſicut etiam ſemen non reſurget in Patre, ſed in Prole.

4. Videtur etiam quòd omnes reſurgent in eâdem ætate ſcilicet juvenili. Nam Pueritia & Senectus defectibus laborant. At ſicut Deus hominem sine defectu condidit, ita sine defectu reparabit.

5. Num omnes reſurgent in eodem ſexu ſcilicet virili? Reſpondeo, In primâ conditione hominum Deus fecit mulierem, ergo in Reſurrectione Fœmineum ſexum reparabit.

Obj. Eph. 4. 13. *Perveniemus omnes in perfectum virum, &c.* Reſpondeo, Hoc non dicitur propter ſexum corporis, ſed propter virtutem animi quæ erit communes Maribus & Fœminis.

6. Corpus hominis juſti reſurget glorioſum, 1 *Cor.* 15. 43. Ejus autem gloria eſt è redundantiâ ab animâ rationali glorioſâ, cui perfectè ſubjectum eſt; ſicut ipſa anima eſt glorificata per hoc quòd ſit perfectè ſubjecta Deo. Itaque etiam corpus glorioſum dicitur ſpirituale, non quòd mutetur in ſpiritum, ſed quòd ſit ſpiritui perfectè ſubjectum. *Sed num præmia & pœnæ antecedunt Judicium?* Vide *Sect.* de Judicio extrema.

7. Hinc

7. Hinc ſequitur corpus hominis juſti poſt reſurrectionem fore incorruptibile. Nam corruptio eſt ejectio formæ, ergo fit per debilitationem Dominii quod forma inexiſtens habet ſuper materiam; ergo illa forma cui corpus eſt perfectè ſubjectum non poteſt ejici.

Obj. Corpus Adæ in innocentiâ fuit perfectè ſubjectum animæ, tamen devenit mortale. Reſpondeo, Corpus Adæ erat perfectè ſubjectum animæ, in quantum anima ejus erat perfectè ſubjecta Deo, & non ulteriùs. Itaque nec erat mortalis Adam antequam Peccator.

8. Hinc etiam ſequitur corpora Sanctorum fore impaſſibilia, ſcilicet Paſſione contra naturam; nam Paſſio magis facta abjicit à ſubſtantiâ, ergo quod eſt paſſibile eſt corruptibile.

Obj. Materia corporis glorioſi erit eadem quæ nunc, ergo inerit eadem Potentia paſſiva. Qualitates etiam propriæ elementis ex quibus componitur homo, erunt eædem in gloriâ quæ nunc, ergo habebunt eandem Potentiam activam cum noſtris quæ inducunt Paſſionem. Reſpondeo, Habebunt eandem Potentiam activam & paſſivam corpora glorioſa quam nunc habent, ſed ligatam per perfectum dominium animæ in corpus. Aderunt etiam omnes ſenſus, ſed non exercebuntur niſi in quantum ſunt perfectivi.

9. Corpus glorificatum perfectè ſubjicitur animæ beatæ, non ſolùm quia nihil in eo ſit quod repugnet voluntati ſpiritus (nam ſic ſe habuit in Adâ); ſed eſt in eo aliqua perfectio effluens ab animâ perquam habile redditur ad exercitium prædictæ ſubjectionis; quæ quidem perfectio dicitur *dos* corporis glorificati. Hæ dotes ultra impaſſibilitatem numerantur tres, *Subtilitas*, *Agilitas & Clarias*.

10. Per

10. Per ſubtilitatem non intelligunt in Scholâ raritatem quaſi aeris, ſed perfectionem quandam quæ liberat ab imperfectione craſſitiei quæ concipitur quaſi onerosa. Nec tamen hinc habet corpus glorioſum ut non poſſit palpari, *Jo.* 20. 27. Nec habet hinc quod penetret aliud corpus, nam ſic veritas corporis tolleretur. An tamen hoc poſſit habere per Miraculum vide.

11. Per agilitatem corporis glorioſi intelligunt quòd ſit mobile & vivum, 1 *Cor.* 15. 43. ut ubicunque velit anima ibi ſtatim ſit corpus. Nam anima unitur corpori non ſolùm ut forma, ſed etiam ut motor; & ſecundum utrumque corpus glorificatum debet ei eſſe perfectè ſubjectum. Per dotem ſubtilitatis corpus glorioſum ſubjicitur animæ ut eſt forma; per dotem autem agilitatis perfectè ſubjicitur ei ut eſt motor.

12. Non tamen hinc habet corpus glorioſum ut moveatur in inſtanti. Nam tranſeundum eſt medium, quod ſi fiat in inſtanti corpus erit in duobus locis ſimul.

Obj. Anima vult in inſtanti, ſed ubi anima vult, ibi ſtatim eſt corpus. Reſpondeo, Statim, *i. e.* valde exiguo tempore. Nec poteſt anima beata eſſe inordinata, aut velle ut corpus ſuum citiùs mutet locum quàm natura corporis fert.

13. Corpus glorioſum habet claritatem; itaque comparatur ſtellæ, *Mat.* 13. 43. 1 *Cor.* 15. 43.

Obj. Corpus luminoſum conſtat ex partibus perviis. Reſpondeo, Si eſt luminoſum ratione Partium. At corpora glorioſa erunt luminoſa non ex naturâ ſuarum Partium, ſed ex Præmio virtutis.

14. Etiam corpora Damnatorum reſurgent integra; idque ſuo malo: nam quò corpus eſt integrius eò univerſalior eſt dolor. Reſurgent etiam incorruptibilia; non ex gratiâ ſed ex juſtitiâ, ut ſint perpetua miſeriæ

ma

materia. Sed quomodo corpus patiens non erit mortale? Respondent in Scholâ, quòd motu cœli (qui est prima causa generationis & corruptionis, & sine quâ secundæ non agunt) cessante post Resurrectionem (quod fiet) nihil erit quod poterit alterare corpus à naturâ suâ. Sed potest dici, quòd per Omnipotentiam Dei continebuntur à corruptione, ne à justitiâ ejus puniente elabantur.

SECT. XXII.

De Extremo Judicio.

Credunt Christiani Christum in fine Mundi esse venturum de cœlo & judicaturum omnes homines vivos & mortuos.

1. JUdicium de re mutabili ante ejus Consummationem perfectè dari non potest; itaque nec de homine quoad vixerit, potest enim fieri de malo bonus vel de bono malus, *Heb.* 9. 27.

2. Si autem de animâ judicatur statim post mortem, (ut ferè universim creditur) generale postea Judicium de quo erit? Num de solis corporibus? At Apostoli & cæteri deinceps Doctores inculcant Præmia & Pœnas supremi Judicii tanquam Christianæ spei & timoris summam. Et Paulus clamat irritari totam fidem sublatâ Resurrectione. Sublatâ autem Resurrectione animæ erunt felices, quod fere infinities plus est quàm quod adjicietur per Resurrectionem ex Unione Corporum. Respondent 2. Animas ipsas beatiores fore post Reunionem, Aug. 12. super Genes. c. 35. *Ex appetitu corporis retardatur anima, ne totâ intensione pergat in illud*

illud summum bonum. Verùm adhuc non affert Judicium supremum, nisi exiguum additamentum ei felicitati quam anima habuit antè. In Judicio autem supremo ponitur tota nostra fortuna. Respondet 3. Albius in libello de medio animarum statu, animas Salvandorum duûm esse generum; quasdam paucas esse perfectas, *i. e.* flagrantes amore Dei & Proximi, has ex corporibus exeuntes immediatè in cœlum emicare; & faciem Dei intueri. At Plebs Christianorum præfert quidem bonum incommutabile Mundo; sed non toto affectu. Non vult peccare, *Nolo*, dicit, *sed ô si liceret!* Horum animas distinet ille de cœlo usque ad Diem Judicii; & illum statum Purgatorium appellat. Nam anima, inquit, quas affectiones exportat secum ex corpore easdem retinet usque ad Reunionem, quod ille satis cum subtilitate explicare nititur. Jam, inquit, in sacrâ Scripturâ proponitur consideratio supremi Judicii tanquam omnibus, quia perfecti & statim salvandi sunt valde pauci.

3. Ego aliter posse dici autumo; nempe animas salvandas, statim salvari postquam exierint ex corporibus, nostram tamen omnium æternitatem pendere ex Judicio supremo, quia particularia Judicia quæ antè subimus, sunt quasi Portiunculæ supremi Judicii, & procedunt ex virtute sententiæ tum proferendæ. Sententiam quippe quam Judex tum promulgabit de omnibus hominibus & quoad omnia, jam privatim exequitur de aliquibus quoad aliqua, *i. e.* de defunctis quoad statum animæ seperatum. Nota sunt Deo omnia ejus opera à principio Mundi, ergo jam tractat animas sicut tractandæ sunt è sententiâ Diei novissimæ; ubi earum felicitas & miseria & confirmabitur & augebitur. Precatur S. Paulus, *Ut bene sit Onesiphoro in Die illâ.* Quia scilicet jam statim quoad animam tractandus est

è ſententiâ quæ dabitur de toto homine *in Die illâ*.

4. Et hæc explicatio ideo magis arridet, quòd per eam reddatur liquidum Apoſtoli dictum alioqui difficile, nempe quòd corpora Sanctorum reſurgent glorioſa. Quid? Gloria eſt Præmium; quomodo ergo coætanea Reſurrectioni? Num Præmium antecedit Judicium? Non, inquam; ſed Judicium de Mortuo quoad animam ſeperatam antecedit Reſurrectionem, & in Reſurrectione ſtatímque poſt eam de toto homine perficitur. Reſurgit corpus in gloriâ eſſentiali; quantum autem ad Pompam ſeu Triumphum gloriæ, huc quoque pergit per Judicium momentaneum.

5. Omnes homines apparebunt in Judicio; nam Chriſtus paſſus eſt pro omnibus, ergo omnes eum videre debent & Retributionem ab eo accipere, *Apoc.* 1. 7.

6. Reſuſcitatis quædam Divina vis aderit, quâ fiet ut cuncta hujus vitæ opera in memoriam revocentur. Nam ut eſt Judicium humanum ad teſtimonium exterius, ita eſt Judicium Divinum ad teſtimonium conſcientiæ, 1 *Sam.* 16. 7. Ergo ut homo non poteſt judicare de facto niſi per teſtimonia externa, ita nec judicabit Deus niſi ſecundum teſtimonium Conſcientiæ, *Rom.* 2. 15.

Obj. Memoria Peccatorum minuet gaudium Sanctorum, & memoria nonnullorum bonorum operum minuet dolorem impiorum. Reſpondeo, Sancti gaudebunt magis de Peccatis remiſſis, & dolebunt magis impii de tot bonis perditis.

7. Reſurgentium unuſquiſque cognoſcet non ſolùm ſua opera, ſed etiam aliorum omnium, ut Juſtitia divina omnibus ſit conſpicua. Cúmque Peccata Magdalenæ, Petri, Davidis, *&c.* innoteſcant, pari ratione & aliorum Sanctorum Peccata ſciri debent, & multò magis ſcelera impiorum.

8. Pro-

8. Processus Judicii supremi videtur fore non vocalis sed mentalis. Nam quàm immensum tempus requireretur ad legendum librum in quo omnium hominum vitæ conscribantur? Christus tamen apparebit corporaliter, ut ostendat gloriam suam, & ut etiam Mali eum videant.

9. Tempus Judicii supremi soli Deo notum est. Quippe Mundus ut factus est, ita finietur à solo Deo, *Mar.* 13. 32. 1 *Thess.* 5. 2. *Act.* 1. 7. quæ Pater posuit in suâ potestate, *i. e.* ut finis Mundi est in solâ potestate Patris, sic tempus ejus solius Patris cognitioni reservatur.

Obj. 1 *Jo.* 2. 18. *Est hora novissima.* Ergo scimus quod finis Mundi jam instat. Respondeo, Novissima hora sive novissimum tempus est novissima ætas, *i. e.* nulla alia erit dispensatio post Christianismum, sed immediatè sequetur finis omnium rerum hujus Mundi. Hoc tamen non definit an duratio hujus horæ longa futura sit vel brevis; sicut senectus est ultima pars vitæ, tamen interdum est diuturnior cæteris omnibus partibus.

10. Judicium authoritatis soli Christo convenit. Apostoli tamen judicabunt cum Christo, *i. e.* ejus sententiæ consentient, & in honorem collocabuntur locis sublimibus ut Assessores Judici, *Mat.* 19. 28. Angeli etiam judicabunt per consensum; non tamen erunt Assessores sed Ministri, *Mat.* 13. 39. Assessores enim debent esse conformes Judici; Assessores ergo Christi debent esse homines; nam Judicium Filio committitur quatenus est Filius hominis.

11. Judicium supremum erit directè solorum hominum. Nam quoad essentiam gloriæ & miseriæ Angeli sunt jam in statu immutabili. Indirectè verò etiam Angeli judicabuntur, non quoad discussionem, sed

 quoad

quoad retributionem in accidentalibus; in quantum boni Angeli gaudebunt de felicitate hominum, & mali Angeli inde angentur. In Judicio etiam supremo videtur quòd cunctis videntibus præcipitabuntur Dæmones in Barathrum tanquam in perpetuum carcerem, ex quo egredi iis concedebatur eosque per Providentiam divinam, ad hominum vitam exercendam, *Mat.* 8. 29.

SECT. XXIII.

De Vitâ Æternâ.

Christiani credunt, omnibus Sanctis in supremo Judicio adjudicari vitam æternam cum Christo.

1. QUod Sancti in Patriâ videbunt Deum per essentiam, palam profitetur Scriptura sacra, 1 *Jo.* 3. 3. 1 *Cor.* 13. 14. *Jo.* 14. 21. Ratio etiam astipulari videtur. Nam omnes Sancti Deum appetunt videre, quod desiderium frustrari nequit, *Exod.* 33. 18. *Jo.* 14. 18.

Obj. Jo. 1. Nemo unquam vidit Deum; itaque nec Angeli viderunt, ideòque nec nos videbimus, quibus non promittitur nisi æqualitas Angelorum. Respondeo, Nec Angeli nec Sancti videbunt Deum visione comprehensionis.

2. Non ambigitur etiam quin beatitudo cœlestis consistat in visione Dei per essentiam, quæ ideo etiam dicitur visio beatifica. Nam visio Dei est summa perfectio intellectus, *i. e.* supremæ facultatis humanæ, necessariò secum trahens gaudium voluntatis quæ non potest non acquiescere in summo bono. Hæc ergo visio

visio summè perficit animam rationalem, ex cujus beatitudinis redundantiâ corpus etiam glorificatur, & sic totus homo est beatus. Disputatur tamen an beatitudo formaliter consistat in visione an in gaudio. Sed cui bono sic disputatur, cùm videns Deum eo non possit non gaudere? Formaliùs tamen videtur dici beatitudinem cœlestem consistere in visione quàm in gaudio quod fundatur in visione. Nam inter Philosophos dissentientes de felicitate hominis, non trahebatur in litem quin is felix sit qui suâ sorte constanter contentus esset; sed disputabant de fundamento hujus acquiescentiæ. In visione ergo beatificâ Deus est summum bonum quo gaudemus, sed quo nisi viso gaudere non possemus; ut visio sit immediatior summo bono quàm gaudium. Quomodo autem Deus videatur ab animâ creatâ per essentiam est disputatio anxia, & quæ fortasse durante hujus vitæ caligine non dissolvetur.

3. Deus oculis corporeis videri non potest; nam sic videri est circumscribi. Nec enim potest intrare in Organum quantum nisi quod ipsum est quantum.

Obj. Job. 42. 5. Nunc oculus meus videt te. Respondeo, Oculus spiritualis, *Eph.* 1. 18.

Obj. 2. *Job.* 19. 26. In carne meâ videbo eum. Respondeo, *i. e.* existens in carne, non autem oculo carnali.

4. Num Sancti vident omnia in Deo? Respondet Aquinas: Non vident ea quæ possunt esse sed nunquam erunt; alioqui enim comprehenderent Potentiam Dei. Imo intellectus eorum esset in intelligendo par Potentiæ divinæ in agendo. Sed nec videtur necessarium ut in Deo videant omnia quæ sunt erunt aut fuerunt; nam sic comprehenderent voluntatem Dei, quod videtur sortem servorum excedere.

Obj.

Obj. Nescire est imperfectionis, itaque non est in animâ beatâ. Respondeo, Scire Deum est finis sciendi alia, itaque qui scit Deum est perfectus, licèt alia nesciat. Aug. l. 5. Conf. c. 4. *Infelix homo qui scit illa omnia creata, te autem nescit; beatus autem qui te scit etiamsi illa omnia nesciat; qui verò te & illa novit, non propter illa beatior, sed propter te solum beatus est.*

Obj. 2. Verbum Dei est ratio & similitudo omnium, ergo omnia in eo relucent sicut in speculo. Respondeo, Speculum illud est voluntarium, & sicut ostendit se cui vult, ita ostendit in se quæ vult.

Obj. 3. Per naturam desideramus scire omnia, ergo & in gloriâ quæ non tollit naturam, id desiderabimus. Respondeo, Desiderium Sanctorum quo omnia scire desiderant, implebitur ex hoc solo quòd Deum videant; sicut desiderium eorum quo omnia bona habere cupiunt, complebitur ex hoc quòd Deum habeant.

5. Sanctorum beatitudo augebitur post Judicium maximè ex unione cum corpore. Augebitur 1: Extensivè, tunc enim erit non solùm in animâ sed etiam in corpore. 2. Ipsius animæ beatitudo augebitur extensivè, quia gaudebit non solùm de bono proprio, sed etiam de bono corporis. 3. Beatitudo animæ augebitur intensivè, in quantum redditur perfectio unionis cum corpore, ad quam anima per naturam fertur, Aug. 12. super Gen. c. 35. *Ex appetitu corporis retardatur, ne totâ intensione pergat in illud summum bonum.*

Obj. Corpus gravat animam in operando. Respondeo, Corpus corruptibile, sed non glorificatum, quod omnino subditur spiritui.

6. Be-

6. Beatitudo est quies ad quam Sancti omnes per Motus suos tendunt; itaque dicitur Domus Dei. Diversi gradus beatitudinis dicuntur Mansiones in illâ domo. Omnes pleni erunt gloriâ, sed major erit aliquorum capacitas, aliorum minor, sicut stella differt à stellâ in gloriâ.

7. Videtur quòd beati videant Damnatorum Pœnas ut sua beatitudo gratior reddatur, & de eâ uberiores gratias Deo agant. Non tamen damnatis compatiuntur, nam hoc esset in contumeliam Justitiæ Divinæ.

Obj. Deus est Misericors ergo & Sancti. Respondeo, Deus est Misericors quatenus subvenit illis, quos secundum ordinem justitiæ & sapientiæ suæ convenit liberari à Miseriâ; Damnatorum autem non miseretur, quia eos è sapientiâ & justitiâ suâ damnavit. Itaque licèt Sancti non gaudebunt Miseriâ Damnatorum per se, quatenus est malum alterius, nam hoc est odii; tamen per accidens eâ gaudebunt, quatenus est effectus Justitiæ Divinæ.

8. In Scholâ assignantur beatis dotes, scilicet visio, dilectio, comprehensio, quæ non differunt à beatitudine nisi ratione, dotes quippe appellatæ in quantum dantur Ecclesiæ tanquam sponsæ Christi.

9. Beatitudinem essentialem seu conjunctionem cum Deo, appellant in Scholâ auream, scilicet coronam; gaudium de operibus quæ excellentis cujusdam victoriæ rationem habent, appellant aureolam, tanquam additamentum ad auream. Aurea datur ob Mandata Dei servata, aureola statuitur Præmium servatorum consiliorum, & ponitur triplex, Virginum, Martyrum & Doctorum. Martyrium tamen fatentur non esse opus Supererogationis sed Necessitatis, tum quidem cùm quis deprehensus de fide suâ rationem requiritur.

SECT. XXIV.

De Pœnâ Damnatorum.

Ite Maledicti in ignem æternum, &c. Mat. 25. 41.

1. POEna Damnatorum ſtatuitur eſſe ingens æterna, atque adeo ſine ullo ſolatio.

2. Ponuntur tamen gradus in inferno, & nonnullis tolerabilius erit quàm aliis, *Mat*. 10. 15. Quod tamen quomodo fiat ſine ullo ſolatio non intelligo. Si ſunt omnes miſerrimi, non eſt unus alio miſerior. Hoc interea certum eſt quòd omnes damnati ſunt valde miſeri; alioqui enim Pœna non induceret Pœnitentiam; & ſi peccâſſe non olim pœnitebit, tum peccare jam non eſt ſtultum.

3. Omnia videntur damnatis in malum ceſſura, ſicut Sanctis in bonum. Itaque in Scholâ ſtatuitur quòd torquebuntur corporaliter ab omnibus elementis, pœnam tamen denominari ab igne, quia eſt violentiſſimæ activitatis. Per Vermem ferè ab omnibus intelligitur Morſus Conſcientiæ, quæ eſt Pœna ſpiritualis. Nec dubium eſt quin *tenebræ*, *fletus*, *ſtridor dentium*, ſignificent mœſtitiam conditionis, ſicut apud nos. Cúmque hæc tropicè ſumantur, quid ni & ignis?

4. Dolor animi in damnatis ſtare præcipuè videtur in angore de ſtultitiâ ſuâ, in odio contra Deum & invidiâ contra beatos; & in his quidem affectibus nonnulli totum eſſe infernum ſtatuunt, miſeriámque corporis nihil eſſe niſi redundantiam ex Miſeriâ animæ, ſicut corpus beati eſt beatum ex beatitudine animæ.

Obj. Cogitatio de Deo eſt jucunda, ergo non torquet. Reſpondeo, Cogitatio de Deo ut Authore omnis

nis boni est jucunda; sed damnati non cogitant de Deo, nisi ut justo suo Judice, itaque etiam eum oderunt.

5. Mala voluntas & ejus profluvium in damnatis non videtur imputari illis in Peccatum aut ut puniendum. Nam post ultimum Judicium non est locus Meriti aut Demeriti, *i. e.* acquirendi aut amittendi, sed omnia sunt Præmium & Pœna, Quin Damnati torquentur à perversis suis cogitationibus, ut istæ non sint puniendæ sed Pœna.

6. Damnati vellent omnes esse damnatos; nam non possunt non malè velle.

Obj. Dives supplicavit pro fratribus suis, ne venirent in locum illum. Respondeo, In Parabolâ, similitudo non currit per omnia sed quoad aliquid. Quòd retributio fiat justa pro gestis in hac vitâ ex professo ostenditur in vicibus Divitis & Lazari. Quòd autem Dives ostenderit charitatem pro fratribus, ponitur secundum affectum humanum, quippe non attinens ad Propositum Christi, nisi in quantum inducat Monitionem hanc, Mosi & Prophetis jam satis per Miracula confirmatis credendum & obsequendum esse, nec de integro esse Miracula identidem expectanda.

7. Infernum ponitur à nonnullis circa centrum terræ, scilicet in loco infimo & cœlis maximè opposito. Sed de hoc nihil certi habetur. Sensu autem Theologico sanè dicitur cœlum esse ubi Deus gloriam suam impertit videndam; Infernum ubicunque severitatem suam seu justitiam sine Misericordiâ exercet; sicut terra quidem est Theatrum Misericordiæ & Justitiæ Divinæ.

8 Pro Peccato temporali homines justè puniuntur Pœnâ æternâ; 1. Quia peccant contra charitatem quæ est vinculum Civitatis Dei, itaque perpetuum exilium ab eâ merentur, sicut etiam apud nos Perduellionis

damnati aut exulant aut enecantur. Et per accidens est quòd horum Pœna sit temporaria, nempe quia ipsi qui puniuntur sunt Mortales, aut etiam cessat esse civitas contra quam peccârunt. 2. Quia peccant contra bonum æternum, ei bonum momentaneum præeligentes. 3. Quia peccant in suo æterno, & propter hoc velint sine fine vivere, ut sine fine in suis iniquitatibus permaneant. 4. Quia peccant contra Deum infinitum ideo Pœna eorum debet esse infinita. Nam Pœna taxatur secundum dignitatem ejus contra quem peccatur, Arist: 5 *Eth: c.* 6. At Creatura non est capax Pœnæ infinitæ in intensione, ergo debet esse duratione infinita. 5. Non debet Pœna cessare quam diu culpa manet, sed culpa obstinatorum in hac vitâ manet in æternum; nec enim est Pœnitentiæ locus post mortem.

Obj. Pœnæ inferni erunt inutiles ad correctionem aut damnatorum aut aliorum quorumcumque; ergo erunt vanæ & non ponendæ. Respondeo, Erunt utiles ad conservandum Dei Justitiam, quæ per se est ei grata. 2. Damnatio æterna impiorum est utilis ad correctionem eorum qui jam sunt in Ecclesiâ; non enim solùm cùm infliguntur sunt Pœnæ utiles ad correctionem, sed etiam cùm statuuntur. Porro advertendum est, restrictiones creaturarum nullo modo Deo affigendas esse, licèt earum perfectiones modo eminenti ei conveniant. Non vindicare autem seu non punire nisi bono Mulctati aut alterius est restrictio & non absoluta Perfectio creaturæ rationalis. Itaque Pœnæ purè vindicativæ non sunt denègandæ Justitiæ Dei, qui non alligatur finibus, sicut nos, sed remittenda res ad τὸ θεῖον.

9. *Num per divinam misericordiam omnis Pœna etiam Dæmonum finietur?* Origines dicitur putâsse, sed contra claram Scripturæ sacræ anthoritatem, *Mat.* 25. 41. *Apoc.* 20. 10. Nonnulli dicunt, horum Pœnam fore

æter-

æternam ſecundùm Juſtitiam Dei, at ex ejus Miſericordiâ terminum his Pœnis fortaſſe poſitum iri. Reſpondeo, Hujus vel minima ſpes non datur in Scripturâ ſacrâ, itaque tu homo noli audere.

APPENDIX.

De Purgatorio & Indulgentiis.

PLerique Patrum antiquorum non admiſerunt ad Viſionem Dei animas ante diem Judicii, ſed eas detineri putârunt in receptaculis mediis cum refrigerio & prægustatione futuri gaudii. Nam ad quid, aiunt, Judicium futurum, ſi hìc ſtatim definitur de præmiis & pœnis? vide retrò *n.* 2.

2. Putarunt etiam in die Judicii fore examinationem per ignem. Paucos adſeram, ut ab Albio citantur in libro de medio animarum ſtatu. Origines Hom. 3. in Pſal. 36. *Ut ego arbitror, omnes nos venire neceſſe eſt ad illum ignem, etiamſi Paulus ſit aliquis vel Petrus, venit tamen ad illum ignem; ſed illi tales audiunt: etiamſi pertranſeas flamma non aduret te. Si verò aliquis mei ſimilis peccator ſit, veniet quidem ad illum ignem ſicut Petrus & Paulus, ſed non tranſibit ſicut Petrus & Paulus.* Ambroſius in Commentariis Pſalterii: *Igne nos examinâſti dicit David, ergo omnes igne examinabimur. Salvi erimus per fidem, ſic tamen ſalvi quaſi per ignem; & ſi non exuremur tamen uremur.* Tertul. 35. de Animâ: *Ille te in carcerem mandet infernum, unde non dimitteris niſi modico quoque delicto morâ Reſurrectionis expenſo.* Lactan. 7. Juſtif. c. 1. *Sed & Juſtos cùm judicaverit Deus, etiam igne eos examinabit: tum quorum Peccata vel pondere vel numero prævaluerint,*

rint, *perstringentur igni atque amburentur; quos autem plena justitia & maturitas virtutis incoxerit, ignem illum non sentient.* Hieron: tom: 3. in Amos: *Vocatus ignis ad judicinm primò devorat abyssum*, i. e. *omnia genera Peccatorum, ligna fœnum stipulam.* Augustin: in 15 Genes: *Ad solis occasum*, i. e. *ad ipsum jam finem, significatur isto igne dies Judicii dirimens carnales per ignem servandos & in igne damnandos:* Et in Psal: sextum: *Talem me reddas cui jam emendato igne opus non erit.* Et 20. de Civ: c. 25. *Ex his quæ dicta sunt, videtur evidentiùs apparere in illo judicio quasdam quorundam Purgatorias Pœnas futuras:* Et lib: 21. c. 4. *Non de quibusdam veraciter diceretur, quòd non iis remittetur, neque in hoc seculo nec in futuro, nisi essent quibus etsi non in isto, tamen remittetur in futuro.*

3. Ego fateor me nunquam intellexisse hanc sententiam. Doctrina enim Catholica est; Christum patiendo satisfecisse pro Peccatis Mundi; baptizatis omnia esse remissa; Pœnitentibus omnia esse remissa; impœnitentibus certam imminere Gehennam. Sed non ulteriùs disputo contra tantam authoritatem. Infelicissima autem fuit ea sententia partu suo. Nam ex hac sententiâ Patrum natum esse Purgatorium Romanum minimè dubium est, Prolem Parente multò nequiorem.

4. In Ecclesiâ enim Romanâ statuitur medium animarum receptaculum inter cœlum & gehennam. Huc detrudi aiunt animas discedentes sub Peccatis venialibus, aut etiam Pœnitentiâ non completè exâctâ pro Peccatis mortalibus, ibíque torqueri igne donec satis passæ fuerint pro malis in vitâ gestis; animas quidem illas esse in charitate perfectâ, omnésque sequiores affectus momento Mortis contritione deletos fuisse, eas proinde hunc ignem pati non ad sui emendationem,

sed

ſed merè ad ſatisfaciendum Juſtitiæ divinæ; quódque hîc nullatenus ad liberationem juventur ſuâ ipſarum charitate, ſed Precibus vivorum, *&c.* maximè.

5. Jam quot ſunt hîc Prodigia! Deus torquet animas quas diligit & à quibus diligitur, non ad earum emendationem, ſed ſolùm quia vult; cúmque ſatisfactum jam eſſet Juſtitiæ ejus per Paſſionem Chriſti. Tum: Ignis corporeus agit in ſubſtantias ſpirituales. Quis intelligat? *Sed Omnipotens etiam hoc poteſt.* Poteſt certè, ſed ubi dicit ſe id facere. Iterum: Animæ ponuntur torqueri voluptate, nimirum patiendo ea quæ ſunt & neceſſaria & certiſſima media ad beatitudinem æternam; quæ pati animabus ad cœlum anhelantibus volupe eſſe neceſſe eſt. Hæ etiam Pœnæ ſtatuuntur debitæ poſt remiſſionem culpæ. Sed hæc avaritiæ proles quàm ſit omni rationi infeſta luculenter oſtendit dictus Albius, ipſe etiam in Eccleſiâ Romanâ (ut audio) Presbyter. Hunc conſule ſis Lector. Mihi enim incumbit in hoc opere ſolùm, quantum potero explicare vera Chriſtianæ Religionis dogmata, ſpuriis non debeo immorari ulteriùs quàm ut oſtendam quòd ſint ſpuria. Et hoc de Purgatorio præſtare facile eſt ex regulâ Fidei poſitâ 1 *p.* ſ 11. *n.* 6.

6. Doctrina Romana de Purgatorio non deſcendit per Traditionem univerſalem; nam à Græcis nunquam agnita fuit, & quòd teſtimonium Eccleſiæ Romanæ ſe ſolo non habeat vim authoritatis univerſalis oſtenſum eſt, 1 *p.* ſ 11. Imo, ne à Romanis quidem tempore S. Auguſtini agnita fuit, qui ad Dulcitium *q.* 1. ait: *Tale aliquid poſt hanc vitam fieri incredibile non eſt, & utrum ita ſit quæri poteſt, & aut inveniri aut latere, nonnullos fideles per ignem quendam Purgatorium, quantò magis minúſve bona pereuntia dilexerunt, tantò tardiùs citiúſve ſalvari.* In illâ ætate adeo non fuit de-

definitum de Purgatorio, ut nec quæsitum fuerit. Gregorius ferè Author Purgatorii Dialogo quarto dicit, de animabus multa tunc clara fuisse quæ antea latuerant. Beda etiam ingens Purgatorii Patronus profitetur illud innotuisse Angliæ ex Miraculo Militis per sacrificium missæ vinculis exoluti. Ex quibus satis patet Opinionem Romanam de Purgatorio venisse in Ecclesiam per superstructionem non per traditionem.

7. Vide autem quàm lata sit differentia inter Purgatorium illud Patrum & hoc Romanum. Illi putârunt animas quasdam ante Judicium, & in Judicio purgandas esse à quibusdam sequioribus affectibus quos hîc non exuerunt. Hi animas omni labe puras nullo fine (honesto certè) excruciant. Illi statuerunt pœnas Purgatorias solâ animæ Purgatione finiendas esse. Hi Purgatorium redimunt precibus Piorum, Missis, Peregrinationibus, Eleemosynis, Voluntariis Ecclesiæ Indulgentiis, *&c.* unde fœdæ & Christiano nomine indignissimæ Nundinationes.

8. Proles Purgatorii Romani sunt Indulgentiæ Romanæ; de quibus pauca adnotabo. In Ecclesiæ primordiis censuræ in peccantes erant acerbæ; has ergo nonnunquam opus erat remittere aut delinire. 2 *Cor.* 2. 7. *Ei potiùs debetis remittere, ne nimio luctu absorbeatur.* Et v. 11. *Ne Satanas lucrum de nobis faciat.* Ubi Apostolus duas reddit causas Indulgentiarum: 1. Quia subjectum non erat capax majoris pœnæ: 2. Ne Diabolus ex prætextu nimii rigoris, vel alio ad murmur aliquos & schisma provocet.

9. Verùm in præsenti Ecclesiâ Romanâ (ut Albius ait ab ætate post Christum 13.) Indulgentiæ sonant remissiones non censurarum sed peccatorum venialium, ne animas in Purgatorium invehant, aut saltem ne in eo detineant. Scilicet, magnum Meritorum thesaurum

rum in cœlo congestum esse ex supererogationibus Sanctorum. Papam etiam ex plenitudine potentiæ suæ hæc merita dispensare, & ut sibi videtur, aliis applicare.

10. Sed hæ supererogationes sunt compensatæ personis supererogantibus (si qui tales fuerunt), alioqui Deus esset hominum meritis impar; cùm tamen per Apostolum, passiones hujus temporis non sint condignæ ad futuram gloriam. Iterum omnia peccata Mundi non excedunt Merita Christi, ergo frustra iis adduntur Merita Sanctorum. Sed satis de nihilo.

SECT. XXV.

De Remissione Peccatorum.

DE credendis quadantenus disserui prout in Symbolis habentur, de Ecclesiâ quidem & Communione Sanctorum in secundâ parte, de cæteris in hac quartâ parte, exceptâ solâ Remissione peccatorum.

Credo in Remissionem Peccatorum. Symb. Ap.

1. PEccatum est transgressio Legis, 1 *Jo.* 3. 4. Itaque trahit reatum seu obligationem ad pœnam; qui quidem reatus permanet transeunte actu, *Mat.* 5. 22. *Mat.* 3. 28, 29. Deus enim habet absolutum dominium in omnia, deditque legem hominibus ut sit iis regula vitæ, cum comminatione pœnæ nisi observaverint. Hujus ergo legis transgressores conscientiis suis in pœnam obsignantur.

2. Jam

2. Jam credimus ablutionem hujus reatus haberi in Ecclesiâ principaliter per Christum patiendo satisfacientem, instrumentaliter per Baptismum, quantum ad peccatum Baptismum antecedentia, & per pœnitentiam quantum ad peccata admissa post Baptismum. Ac de satisfactione Christi dictum est *Sect.* 12. De Baptismo & Pœnitentiâ dicetur suis locis.

3. Articulus de remissione peccatorum ponitur loco proximo post Articulum de Ecclesiâ Catholicâ, ut intelligatur eam esse Ecclesiæ privilegium, nec alibi haberi. *Obj: Habita fuit sub lege.* Respondeo, sed non nisi in Ecclesiâ credentium Christum esse venturum.

4. *Sed num in Ecclesiâ haberi potest remissio omnium peccatorum?* Prorsus omnium; nam Agnus Dei sustulit peccata Mundi.

Obj: Peccatum contra Spiritum sanctum est irremissibile. Respondeo, Mihi verisimillimè videntur loqui, qui statuunt hoc peccatum esse obduratam recusationem Evangelii post convictionem oblatam per Spiritum descendentem super Apostolos & Miracula per eosdem edentem. Quasi dixisset Dominus: Repugnâstis Mosi & Prophetis Dei servis, repugnatis mihi ejus Filio sic loquenti & sic operanti, Est adhuc spes. Veniet autem Spiritus sanctus & opera ad mundum convincendum abundè sufficientia peraget; si huic etiam repugnabitis, non dabitur ulterior convictio, sed in perpetuam cœcitatem obsignabimini. Peccatum ergo in Spiritum sanctum est aggregatum ex omnibus actibus per quos obstinati Deo illuminationem offerenti resistunt, nomenque sumit ab ultimo actu, quo claudunt oculos contra omnes confirmationes doctrinæ Christianæ præstitas ab Apostolis virtute Spiritus sancti; Unde apparet hoc peccatum esse irremissibile, non ob gravitatem penati sed ob incapacitatem penantis, qui recusat omnia media remissionis.

PARS.

PARS V.

De agendis à Christiano seu de Christianâ obedientiâ

OBedientiæ Christianæ Considerabo principia & partes. Nam de fine ejus quæ est vitâ æternâ dictum est quartâ parte. Principium primum hujus obedientiæ Statuitur Prædestinatio; principium ejus immediatum est tum gratia tum virtutes & Theologicæ & morales.

SECT I.



De predestinatione.

Convenit inter omnes Christianos, Deum Secundum consilium voluntatis suæ nonnullos homines ab æterno immutabilitur prædestinâsse ad vitam æternam.

1. AT in consilio hoc explicando Christiani inter se plus nimio distant. Ego de scientiâ & præscientiâ Dei, déque divina rerum in genere præfinitione dictum suppono in Metaphysicâ. Nunc paucis a-

 gam

gam de predestinatione, quæ est propriè hominum tantùm; idque in ordine ad vitam æternam.

2: Atque in ipso limine occurrit famosa quorundam sententia, *Deum ab æterno statuisse homines creare, eorumque hos certos beatitudini, cæteros omnes æternis cruciatibus destinâsse; ac utrumqne immutabiliter, utrumque sine respectu ad opera personarum sed ex merâ suâ voluntate, & in gloriam misericordiæ suæ erga beatos & justitiæ suæ erga reprobos.* Sed quæ est justitia, cruciare nihil meritos? Respondent, *Deum ut hoc consilium rite exequatur, statuisse quòd Adamus peccaret et quòd in eo omnes homines inquinarentur, quòdque ipse filium suum mitteret certissimum Redemtorem horum Electorum, qui vero nihil prodesset reprobis ob peccatum Adami sine fine torquendis, nec iis proponeretur ut Redemptor nisi voce tenus.* Calv: Justit: l. 3. c. 24. *Ecce vocem ad eos dirigit, sed ut magis obsurdescant; lucem accendit, sed ut reddantur cæciores; doctrinam profert, sed ut magis obstupescant; remedium adhibet, sed ne sanentur.* Et piscator de predestinatione: *Non vult Deus reprobos credere, licèt linguâ profiteatur se velle.*

3: Monstrum horrendum! At probare nituntur. Dicitur enim Rom. 9. 13. *Jacobum dilexi et Esavum odi.* Idque factum est sine respectu ad opera alterutrius. *cùm enim pueri nondum essent nati, nec quid fecissent boni aut mali &c.* v. 11. Sic v. 16. *Non est volentis neque currentis, sed miserentis Dei.* v. 18. Dicitur *Deus e merâ suâ voluntate nonnullorum misereri et alios indurare.* Hujusque exemplum ponitur Pharao v. 17. Tum ad objectionem: *Quis restitit voluntati ejus? cur queritur?* respondet Apostolus: *Quis tu es homo qui disputas cum creatore tuo? Sumus in manu Domini ut lutum in manu figuli, ergo potest pro libitu suo*

alios

alios in honorem, alios in contumeliam fingere. Verùm his quid respondendum censeam, dicetur in calce sectionis 2dæ.

4: Interea mihi incredibile est, Deum ullum hominem creâsse ad hoc ut domanetur. Nam 1. Bonum est sui diffusivum, ergo infinite bonus Deus quaquaversum diffundit de suo *i. e.* de bono; at Bonum in Deo idem est quod beatum; ergo nullius miseria e Deo emanare potest sicut nec tenebræ e Sole. Itaque etiam proclamat: O Israel perditio tua est ex te; 2. Deus est verax; at Dicit. nolo mortem morientis & impii; ergo eam non vult 3. Deus precipit omnibus, promittit omnibus, comminatur omnibus, ergo nemini impossibilitatem obediendi decrevit; esset quippe Ironia Deo indignissima.

5: Nonnulli emolliêrunt hoc fatale decretum, ei præstruendo lapsum Adami; Adamum scilicet creatum fuisse justum, & relictum in manu consilii sui, potuisse stare in officio suò, potuisse deficere, ex optione suâ defecisse, seque omnemque suam progeniem defectione istâ fædâsse, et omnimodæ pænæ reatu perdidisse; ex hâc massâ corruptâ Deum Elegisse nonnullos in vitam æternam, reliquos damnandos prætériisse.

6: Atque hæc minùs crudeliter sonant quám superiora; non videntur tamen satisfacere aut φιλανθρωπίᾳ Dei, qui filium pro hac massâ corruptâ dedit; aut honori Servatoris nostri secundi Adami, qui venit ad extrahendum homines e carcere, in quem a primo parente conjecti erant, et tam latè redemptor esse debuit, quàm erat primus Adam perditor. Nec congruunt ista quidem sinceritati Apostolorum, qui Christum mundi servatorem predicabant, omnes invitabant, nec ergo pauculos tantum electos putabant.

 7:

7: Hîc Calvinus miratur, quòd hi ſublapſarii in uno Adamo hæreant, quum omne præterea humanum genus decretis ſubjiciant irreſpectivis. Ego contra miror, cum Adamum liberum ſtatuant, cur id reliquis hominibus denegent. Non eſt contumelioſum Deo quòd homo ſit in manu conſilii ſui, nam ex conſtitutione Dei ita ſe habuit in Adamo. Quòd autem non ſimus in manu conſilii noſtri videtur valde contumelioſum Chriſto, quaſi ſerpentis caput non contriviſſet, nec jacturam tentatione Diaboli invectam ſuâ paſſione reparâſſet.

8: Quin ſi comparare lubet hanc ſecundam ſententiam cum priori ſic ſe habere videntur. Supra lapſarii pleroſque homines damnant ob nullum peccatum; ſublapſarii tantundem hominum damnant ob unum unius Adami peccatum. Ob unum, inquam, illud peccatum omnes reprobos damnant Sublapſarii; nam ſi omnes morerentur ante tranſgreſſionem perſonalem, tamen per eos nihilo minus in gehennam deturbandi eſſent. Jmò, ſi impoſſibile eſt hominem Adamicum in quocunque actu non peccare (quod illi ſtatuunt) ſequitur nullum actuale peccatum ei imputari poſſe; nam nemo tenetur ad impoſſibile. Verùm hæc ſecunda ſententia permagnos habet authores Auguſtinum puto &c. itaque nihil pono. Mihi etiam certum eſt non divagari poſt pelagianos, Semipelagianos, Arminianos &c. qui omnes decretis repugnant irreſpectivis, quanto verò cum diſcrimine inter ſe invicem non adeo comperi, nec quidem moror, Quin ſtatim me accingam brevi in hâc cauſâ *Confeſſionis Anglicanæ* Explicationi.

9: In articulo 17. definitur, *Predeſtinationem ad vitam eſſe æternum Dei conſilium, quo decrevit eos quos ex humano genere in Chriſto elegit, a damnatione liberare & per Chriſtum ad æternam ſalutem pervehere tanquam vaſa facta in honorem*; hoſque omnes certiſſimè

vo-

vocari, justificari, sanctificari & tandum servari. ponit 20. loco idem articulus, considerationem prædestinationis esse piis suavem (quod ego, fateor, non intelligo, quippe semper edoctus, omne solatium Christiani stare in promissis Dei apertis non in occultis decretis) impiis vero eandem esse valde periculosam & frequenter inducere aut in desperationem aut in licenciam peccandi. 3. ponit articulus, promissiones Dei a nobis accipiendas esse, prout generaliter proponuntur in sacrâ scripturâ, eamque in actionibus vitæ sequendam esse Dei voluntatem, quam expressam habemus in verbo Dei.

10: Nihil hîc de absolutâ reprobatione; at si nostrates cum Calvino censuissent, cum illo etiam fuissent loquati. Quibus cor est tam crudelia opinandi, iis nunquam deerit oris impudentia ad profitendum. Talia qui tacet, damnat. Vide collectam passionis.

11: *Sed quid est eligere in Christo* ? est eligere ob merita Christi, vel est eligere credentes in Christum. Ut cunque Christus per articulum est fundam entum electionis & electio est regula predestinationis; at Christus est post lapsum, ergo predestinatio non erat ante lapsum.

12: Quicquid decrevit Deus ab æterno, id in tempore certò exequitur. Itaque a decreto ad exequutionem, & ab executione ad decretum pariter arguitur. e. g. Si Deus hunc damnat, tunc ab æterno decrevit eum damnare; & si Deus ab æterno decrevit hunc damnare, eum in tempore damnabit *Quid tum postea*? dices. Tum, inquam, si Deus damnat hunc ob peccatum, eum damnare statuit ab æterno ob peccatum; sed per ipsos Calvinistas, Deus neminem damnat nisi ob peccatum (nam ideo, ajunt, peccatum invexit ut jure posset damnare), ergo neminem damnare decrevit nisi ob peccatum; ergo nulla erat prædestinatio supra lapsum qui erat primum peccatum.

13:

13: Iterum, decretum divinum nos latet, ejus exequutio revelatur; itaque satius erit questionem sic proponere, *Ob quid homines damnat Deus?* quám sic; *Ob quid decrevit Deus homines damnare?* Imo prædestinatio & præscientia seu scientia Dei de futuris quatenus de futuris, videntur dici ἀνθρωποπαθῶς, Res enim apud nos dicuntur futuræ, respectu rerum præsentium & præteritarum, æternitas autem Dei compræhendit omne tempus. i. e. omnia quæ sunt, erunt aut fuerunt sunt ei præsentia, Itaque reipsâ, prædestinare ad media, idem est quod media exhibere, & prædestinare ad finem idem est quod ad finem perducere.

14: Demùm articulus dicit, promissa evangelica accipienda esse sicut proponuntur in scripturis sacris; unde præsumendum est evangelium esse juris communis omnibus, nam omnibus promulgatur & omnes invitat. Ecclesia autem quæ docet evangelium proponendum esse omnibus, non potest docere quòd non nisi pauci sunt ejus capaces, nam sic generalitas propositionis esset frustranea & Sarcastica.

15: Atque hinc videretur sequi, Deum concedere omnibus media necessaria ad salutem; nam prorsus re probaret eos quibus ea non concederet; negans enim media negat finem.

Ob: Deus nonnullis præbet solùm media quæ novit non esse valitura; nam Dominus dicit: *Si opera quæ in te sunt facta, fuissent facta in Tyro & Sidone, resipnissent*, Sed non dare auxilia quæ sunt valitura est nihil dare, & hoc est reprobare Resp: Deus novit ea auxilia quæ dedit Tyro & Sidoni non fuisse valitura sed & novit ea fuisse sufficientia. eorum quippe insufficientiá non erat ex ipsorum imbecillitate sed ex libertate arbitrii corrupti. *Sed efficaciora media nonnullis concedere quàm quæ aliis*

con-

concessa sunt, an non est hæc acceptio personarum? Minimè, Quòd sit bonus omnibus, est ex naturâ Dei, quòd sit amicior nonnullis, quám aliis, est ex jure voluntatis. Disponit sua ut sibi lubet.

16: post hæc videtur dicendum esse, quòd Deus concedit omnibus vires sufficientes ad non peccandum, non autem concedit omnibus media sufficientia ad vitam æternam; quippe quæ non habetur nisi per Christum qui neminem agnoscit nisi credentem; ergo quibus Deus non attulit evangelium, eos reliquit in umbrâ mortis. Loquor de dispensatione revelatâ seu de modo ordinario perveniendi ad salutem. Ex abysso misericordiæ divinæ possumus sperare, sed nihil præsumendum est.

17: Sed posito quòd Ethnicus vivat secundum legem naturæ, is moriens non introibit in regnum cælorum, quia non credit in Christum, nec dejicietur in Barathrum quia non peccavit actu, & originale ejus peccatum supponimus esse quoad reatum sublatum à Christo. *Quid fiet de animâ ejus?* In Ecclesia Romanâ reponent, eam, credo, cum infantibus; ego & tu (si placet) permittemus rem judicio Dei, qui non Exigit a nobis ut omnia sciamus.

SECT. II.

De gratiâ & libero arbitrio.

Certum est apud Christianos gratiam Dei supernaturalem esse necessariam ad hoc, ut placeamus Deo & vitâ eternâ potiamur.

LIberum arbitrium nihil est nisi voluntas humana, cui quidem esse liberam est essenti-

essentiale. Gratia est auxilium supra naturam cælitus adveniens.

2: Gratia est Gratum faciens vel gratis data, Gratia gratum faciens est per quam homo conjungitur Deo. Gratia gratis data est donum per quod homo cooperatur alteri ut ad Deum reducatur, ipsum autem possessorem non efficit bonum. 1. *Cor.* 12. 7. *Unicuique datur manifestatio Spiritus in utilitatem* (scilicet aliorum) &c. Utraque hæc gratia est gratis data, quia homini conceditur supra facultatem nanaturæ & supra meritum personæ; altera tamen sola dicitur gratis data, quia ea non habet ulteriùs, quòd gratum faciat. De gratiis gratis datis satis pro meo proposito dictum est in 2. parte *de Ordinibus*, & in 4. parte *de adventu spiritus sancti.*

3: Per gratiam gratum facientem omnes intelligunt auxilium Dei hominibus datum ad bene operandum, ultra vires naturæ humanæ & concursum Dei generalem. Eam in scholâ ponunt qualitatem in animâ & habitum infusum, qui afficit animam ut albedo parietem. Alii rejiciunt omnes qualitates & gratiam explicant per dispositionem circumstantiarum accomodatam ad trahendum animam in bonum. Alii malunt eam appellare illuminationem. Ego hæc puto esse considerationis Scholasticorum tantùm, qui id in se oneris traxerunt, ut omnia mysteria Christianismi explicent per principia philosophica, qui processus minimè erat notus antiquis Christianis, qui sibi sufficere putabant, quòd res crederent sine hoc quòd modos scirent. Ut tamen intelligamur loquendum est cum vulgo.

4: Effectus gratiæ numerantur quinque. Ut anima sanetur, ut bonum velit (quæ duo fortasse unum sunt), ut bonum quod vult efficaciter operetur, ut in

in bono perseveret, ut ad gloriam perveniat. Unus horum effectuum antecedit alterum, unde divisio gratiæ in prævenientem & subsequentem. Gratia respectu primi effectus est præveniens, ut verò operatur secundum effectum est subsequens, scilicet respectu primi effectus. Aug. de nat: & gra: *prævenit ut sanemur, subsequitur ut sanati vegetemur; prævenit ut vocemur, subsequitur ut glorificemur.*

5. Iterum dividitur gratia in operantem & cooperantem. Aug. de gra: & lib: arb: c. 17. Ut velimus operatur, cùm autem volumus ut perficiamus, cooperatur. Dicitur operans in quantum sanat animam, cooperans in quantum est principium boni operis procedentis ex voluntate sanatâ. In primo ergo actu scilicet in sanatione animæ, gratia est principium activum, voluntas humana passivum. Animâ autem sanatâ seu volente bonum, gratia & liberum arbitrium cooperantur activè ad subsequentes effectus gratiæ; nisi enim voluntas operetur, actus non esset voluntarius aut noster. *Sed quomodo cooperatur gratia cum voluntate?* Sicut virtutes morales cooperantur animæ ad actus humanos ita gratia ad actus Christianos; cum hoc tamen discrimine, quod gratia sit necessaria ad operandum Christianè, virtus autem moralis sit necessaria solùm ad promptè & constanter operandum humanè.

6. Gratia a Magistro Sententiarum statuitur genus trium virtutum theologicarum. Aquinas negat: eam quippe esse lumen quoddam divinum (Eph. 5. 8. *eratis tenebræ nunc autem lux in Domino*) unde virtutes theologicæ derivantur; sicut etiam virtutes morales differunt à lumine naturæ á quo derivantur. Virtutes morales disponunt ad operandum secundum lumen naturæ, virtutes theologicæ secundum lumen gratiæ.

 Ita-

Itaque etiam *gratia* dicitur participatio divinæ naturæ 2. Pet: 1. 4. *Ut per hoc efficiamini divinæ consortes naturæ*. Itaque etiam dicimur per gratiam regenerari in filios Dei. Atque hæc de essentiâ & partibus gratiæ. Quoniam verò in Ecclesiâ statuitur gratiam esse absolutè necessariam ad salutem, deinceps consideranda propono hæc tria: Unde sit necessitas gratiæ, ad quid sit necessaria, & quousque fit efficax.

7. Quod ad primum: Originale peccatum vulnerat animam cujusque hominis secundum naturam procedentis ex Adamo, eamque reddit imparem officio suo; itaque ut salvetur, novo auxilio cælitus sublevandus est. 2°, vita æterna est præmium supernaturale, itaque non est acquirenda viribus naturæ etiam non vitiatæ. En duplex gratiæ necessitas. Sed ad quid, seu quatenus est necessaria?

8: Inprimis Gratia non est necessaria ad cognitionem naturalium speculativam aut etiam practicam. Prosper contra Collatorem c. 22. Si nec ad ista terrena ordinanda rationalis animi vigeret ingenium, non vitiata esset sed extincta natura.

9: Videtur etiam certum non requiri gratiam ad assentiendum veritatibus supernaturalibus Evangelii. Nam 1ò, dæmones credunt sine pio affectu. 2ò. Eæ veritates sufficienter ostenduntur rationi naturali ex miraculis; (nam aliter homines non redderentur inexcusabiles ob rejectum evangelium) at sufficienter ostensis ratio naturalis non potest non assentiri. potest dici *gratiam cum evangelio semper offerri & recusantes evangelium resistere gratiæ oblatæ, & ob hoc esse inexcusabiles.* Atque hoc quidem rectè dicitur in quantum gratia sumitur pro favore divino. Difficulter autem intelligatur, quomodo quis possit resistere gratiæ habituali, cujus essentia est ut gratum

fa-

faciat. Ea ſi non facit gratum nòn eſt gratia. Tum quid hoc eſt offerre gratiam habitualem, quæ eſt prorſus cælitus infundenda? Si infunditur, gratum facit; ſi non infunditur non eſt gratia. Deum offerre gratiam ſi quis acceperit ſonat hoc: Si quis bonum vult, Deus facit ut bonum velit; tamen videtur neceſſe eſſe ſic vulgò loqui.

10: Sed *in hoc depravato ſtatu num poteſt homo viribus naturæ exercere virtutes morales?* Apoſtolus videtur expreſſè affirmare. Rom. 2. 14. *Gentes quæ non habent legem faciunt ea quæ ſunt legis.* Et aſſerit ipſos Gentiles perconſcientiam ſuam aut accuſatum aut excuſatum iri in Die judicii. Whitakerus de peccato originali: Si per morale opus virtutes intelligis philoſophicas, non negamus poſſe hominem ſine ſpeciali gratiâ multa fortiter & temperanter & juſte agere. Jeron: ſuper Ezekielem: Ex eo quòd Nebuchodonor mercedem accepit boni operis, intelligimus etiam Ethnicos ſi quid boni fecerint, non abſque mercede Dei judicio præteriri. Memineris etiam Lector boni Samaritani: Quæſtio erat, quid faciam ut potiar vitâ æternâ. Reſpondit Dominus *Samaritanus quidam fecit ſic & ſic, tu fac ſimiliter.* Incredibile autem eſt, quòd is qui nihil boni poſſit præſtare ſtatueretur exemplar æternæ vitæ potiundæ. Meminerit etiam Lector Centurionum. Mat. 8. Act: 10.

11: Auguſtinus verò & poſt eum permulti in contrarium ruunt. Objicienti Fabium, Fabritium, Scipionem, Regulum reſpondit Auguſtinus: eos nullas *virtutes habuiſſe ſed vitia vir tutibus ſimilia; vel ſi virtutes fuerint, potiùs gratiæ Dei attribuendas eſſe, quàm viribus eorum.* Quid? gratia gratum faciens in infidelibus? An non hinc ſequitur fidem non eſſe neceſſari-

am ad placendum Deo? Iterum prosper decit: Omnis infidelium vita peccatum est.

12: Sed quo argumento contendunt? *Ethnici non retulerunt actiones ad Deum, qui est summum bonum & ultimus finis humanorum actuum; sed sine summo bono nullum est bonum; & actiones in suo genere optimæ fiunt malæ si ordinantur in finem perversum.* Sed quid ni possit Infidelis dirigere actus suos in Deum ut naturaliter cognitum? Et: quicunque virtutem sequebatur, referebat actiones ad Deum virtualiter licèt non formaliter. *i. e.* præstitit officia illa quæ suâ naturâ tendebant in Dei gloriam.

13: Ex adverso disputant Scotistæ: Dispositio ad formam potest esse sine formâ, licèt non forma sine dispositione; at virtutes morales disponunt ad gratiam, ergo possunt esse sine eâ. Iterum, Adamus innocens poterat operari omne bonum morale cum Dei concursu tantùm generali, nam sic operari ei nihil fuisset nisi agere secundum naturam; ergo homo depravatus potest operari aliquod bonum morale cum eodem concursu. Nam voluntas ad actiones morales ita se habet in his duobus statibus, sicut se habet homo sanus & æger ad actiones naturales. Si homo nullum opus naturale potest edere, non est æger sed mortuus; & si nullum opus morale potest edere non est homo depravatus sed ne homo quidem, quippe cui sit essentialis & intellectus qui fertur in verum, & voluntas quæ fertur in bonum. Hi tamen statuunt se minimè facere Pelagio, qui, aiunt, non solùm auxilium Dei speciale denegavit actibus liberis sed etiam concursum generalem. Moderanter etiam se gerunt, fatentes hominem per naturam posse exequi officia faciliora, gravioribus verò tentationibus citò succumbere sine auxilio Dei speciali.

Ob:

Ob: Rom: 14. 23. *Quod non est ex fide est peccatum.* Resp: *i. e.* si non credis sed dubitas an aliqua actio sit bona vel mala & tamen agis, tum peccas quia agis ex proposito non bono sed indifferinti ad bonum vel malum.

14: *Sed num exercitium virtutum moralium in infidelibus aliquo modo disponit ad gratiam?* Qui pro concione negaret, prorsus juberet omnes non credentes in Christum desistere à virtutibus moralibus, adeoque ab audiendo conciones &c, solisque instinctibus attendere, quod etiam apud nos faciunt *Trementes*. Ego rem sic expedio: 1°, Deus in infundendo gratiam non alligatur præparationibus humanis sed spiritus flat ubicumque vult; quod apparet in exemplo Magdalenæ & etiam Sancti pauli. 2°, præparationes morales non merentur gratiam; nam quomodo is quicquam mereatur supernaturale, qui officio solùm naturali, eóque valde imperfectè & cum multis admistis peccatis, defungitur? 3iò, Tamen secundum ordinariam Dei dispensationem virtutes morales sunt passivæ dispositiones ad gratiam. Jacksonus de fide salvificâ hoc sic explicat. Deus non fecit hominem statim ex chao, sed cælum & terram &c. & tum postea hominem in mundum ornatum induxit. Sic non infundit gratiam (nisi in valde paucis instantiis) statim in cor omnibus vitiis fædum. Sed qui animam suam per virtutes morales aliquatenus purgavit, is non est procul á regno Dei. Exemplum sit Centurio Math. 8. 5. & alter. acto: 10. 1.

15: Contra necessitatem gratiæ dixit mihi quidam; *cum natura sit æque à Deo ac est gratia, pariterque gratis data, an non est æque honorificum Deo quòd bona nostra opera ascribantur naturæ ac gratiæ?* Ego retuli: jure deprimimus naturam, non quà est a Deo, sed quà est à nobis pessundata. Est etiam in honorem Dei, quòd

gratiæ

gratiæ potentiam evehamus, cùm ſit infinitæ ejus miſericordiæ quòd pro gratiâ in Adamo rejectâ, in Chriſto gratiam recipiamus. Dum ſalutem noſtram gratiæ Dei aſcribimus, fatemur nos juſtitiâ ejus damnandos fuiſſe. Fateor tamen hæc omnia ſonare nomine gratiæ favorem divinum.

16: Reſtat conſiderandum quouſque ſit gratia efficax; nempe an juſtus per gratiam Dei poſſit omnia mandata ſervare. Ac certum videtur quòd poteſt ſervare ſingula; alioqui enim aliquod impoſſibile ei mandaretur, qui eſſet Sarcaſmus Deo indigniſſimus. Imo jugum Chriſti adeo non eſt impoſſibile, ut ſit facile. Mat. 11. 30. Itaque Jeronymus ad Damaſum Ep: 22. dicit: *Execramur eorum blaſphemiam, qui dicunt impoſſibile aliquod homini eſſe præceptum à Deo, & mandata Dei non à ſingulis ſed ob omnibus in communi poſſe ſervari.*

17: Tamen ſi experientiam conſules, vix unum reperies, qui non in multis officii ſui partibus labitur. Et hoc evenit quia non prorſus exterminatur concupiſcentia, ſed adhuc luctatur contra Spiritum caro. Concupiſcentia autem etiam in ſcholâ agnoſcitur eſſe fomes peccati. Altera cauſa hujus fragilitatis eſt divina gratiæ diſpenſatio. Sic enim Deo viſum eſt, ut ſat virium habeamus ad preliandum fortiter, ſed non ad perfectè vincendum uſque ad finem. Hæc autem oſtendunt difficultatem præcepti non autem impoſſibilitatem.

18: Jam textuum à reprobantibus adductorum brevem ſubjungam expoſitionem. Rom: 9. 13. *Eſavum odi. i. e.* minùs dilexi. Sic Gen: 29. 31. *Dominus videns quòd Leah haberetur odio. i. e.* minus diligeretur per verſum 30. Sic Luc: 14. 26. *Si quis non odit patrem et matrem. i. e.* non diligit minùs quàm me per Mat. 10. 37. Tota etiam res intelligenda eſt de poſteris Eſavi

vi quibus Deus nec tanta exhibuit bona temporalia, quanta posteris Jacobi, nec quidem ulla media ordinaria ad salutem æternam, sicut nec jam exhibet multis gentibus. Verùm totum hoc factum est in massâ corruptâ, atque nihil juvat reprobationem supra lapsariam, nec quidem Sublapsariam, cùm Deus omnibus gentibus concedat media sufficientia ad non peccandum, nec quenquam damnet nisi ob peccatum.

19: Rom. 9. 11. *Cum pueri non essent nati, nec quidquam fecissent boni aut mali &c.* Quid tum? omnes concedunt Deum Idumæis prælegisse Israelitas non ob merita aut demerita ipsorum, seb ex beneplacito suo. Nemini mala vult Deus; bona autem, prout lubet ipsi, alia aliis distribuit. Itaque dicit: *miserebor quorum volo misereri.*

20: Dominus dicit pharaoni: Rom: 9. 17. *Hoc consilio te evexi, ut in te ostendam potentiam meam.* Evexi. *i. e.* sustentavi ne perieris, et jam esses in gehennâ, ut meruisti. Vel etiam Deus eum fecit regem, quem vidit per sceleratam suam obstinatiam esse periturum ingenti cum gloriâ divinæ omnipotentiæ.

21: *Quem vult. indurat.* Rom: 9. 18. Deus quosdam indurat, non infundendo duritiem, sed eos sibi ipsis relinquendo nec trahendo per gratiam specialem. Iterum, Deus impios occasionaliter indurat, benefaciendo. Exod. 8. 14. *Cum videret pharao moram dari, induravit cor suum.* Perversitas Pharaonis erat causa indurationis, benignitas Dei occasio..

22: *Quis tu es homo qui disputas cum Deo? Rom:* 9: 20. *i. e.* qui disputas de sapientia dispensationum Dei nimirum in relinquendo Judæos & accipiendo Gentiles. Vel qui disputas de libertate Dei in donis impertinendis

pertinendis

pertiendis, quibus vult & quomodo vult. Verùm de æquitate actorum Dei Deus nos facit Judices] Ef: 1. 18. El. 5. 3.

23: *Quis restitit voluntati ejus? Rom.* 9. 19. Nemo. Nam Deus non vult absolutè ut homo bene se gerat; sed ut bene se gerat aut puniatur pro male gestis,

24: Jo: 6. 44. *Nemo potest venire ad me, nisi pater qui misit me trahat eum. i. e.* qui legi non estis obsequuti, nec evangelio obsequemini. Sicut Abraham dixit diviti: Si non habent fidem Mosi & prophetis, nec resurgenti è mortuis habebunt *i. e.* Nec Christo. Sic Dominus dicit de divite, *quòd non potest intrare in regnum cælorum. Per Deum tamen possibile esse ut intret. i. e.* mediis ordinariis perveniendi ad salutem dives seu fidens in divitiis non cedet; sed prorsus opus est omnipotentiâ bonitatis Dei ad talem per auxilia extraordinaria trahendum.

25: Act: 13. 24. *Crediderunt quotquot erant ordinati ad vitam æternam i. e.* quotquot erant rectè affecti & auribus æquis evangelium capessebant; hi enim erant τεταγμένοι, seu dispositi ad vitam æternam. Qui bene afficitur ad media, is disponitur ad finem.

26: Postremo advertat Lector litem non esse gravem internos & Ecclesiam Romanam de predestinatione, de. gratiâ aut de libero arbitrio; sed & illi inter se, & nos inter nos pariter digladiari videmur. Vix ipse Calvinus est Jansenio ferocior fatista. Quin antiqui patres non meliùs concordârunt, de quibus audi Calvinum C. 2. inst: C. 2. n. 4. *Verbum hoc* Chrysostimo *est passim familiare* afferamus quod est nostrum, reliqua Deus supplebit. *Cui consentaneum quod ait Hiero nymas;* Nostrum esse incipere, Dei autem

tem perficere: Nostrum offerre quod possumus, illius implere quod non possumus. *Porrò tametsi Græci præ aliis atque inter eos singulariter Chrysostomus, in extollendâ humanæ voluntatis facultate modum excesserint, veteres tamen omnes excepto Augustino sic in hac re ut variant aut vacillant aut perplexe loquuntur, ut certi ferè nihil ex eorum, scriptis referre liceat.* Hæc Calvinus. Sapientis erit nihil valdè Opinari.

SECT III.

De Fide.

COnvenit omnibus inter se Christianis, neminem nisi credentem in Christum ab eo agnosci, credentium neminem ab eo rejici, omnes etiam credentes ad profitendum fidem suam teneri.

1. Quòd una et eadem graia de quâ modò disserumus dirigat animam in omnibus officiis Christianis et pro diversis abstractionibus nostri intellectus induat diversa nomina fidei spei et charitatis, fortasse non incommodè dicatur. Quòd autem fides spes et charitas quadantenus à se in vicem distinguantur et tractari præcisè debeant, patet per Apostolum 1 Cor. 13. 13. *Nunc remanent fides, spes, charitas, hæ tres.* Fides præcisè sumpta à multis dividitur in historicam & salvificam. Historicam definiunt *assensum datum doctrinæ Christi.* Per hanc quippe recognitionem Christiani inprimis secernuntur à Judæis & Gentilibus.

2: Objectum materiale fidei Christianæ historicæ sunt veritates revelatæ à Deo per Christum. Veracitas autem Dei est objectum fidei formale seu ratio credendi. Quin & Deus allio modo potest dici objectum fidei Christianæ, quia omnia à Christiano credita eum disponunt ad fruitionem Dei; sicut sanitas dicitur objectum Medicinæ, quia Medicina nihil tractat nisi in ordine ad sanitatem.

3: Est una fides Christiana, quia omnes omnis ævi Christiani idem credunt. *Sed videtur crevisse numerus articulorum fidei.* Respondet Aquinas, *numerum articulorum crevisse quoad explicationem, sed non quoad substantiam. Omnia scilicet quæ jam creduntur, fuisse in fide primorum Christianorum, sed quædam explicitè jam credi quæ antea non credebantur explicitè.* Ego autumo periculosè dictum: nam articulo fidem habere non prout exprimitur à Deo sed ut explicatur ab homine, est homini fidem habere non Deo. De phrasibus nonnullis quæ sunt in symbolis & non sunt in scripturis sacris sic habe: Eæ nihil addunt nisi id, quo sublato tollitur hoc quod est expressè in scripturâ sacrâ. e. g. Symbolum Nicæanum dicit Christum esse ὁμούσιον τῷ πατρὶ, & jure, alioqui enim aut non esset verus Deus, aut essent plures Dii, cujus utriusque contrarium expressè habetur in scripturâ sacrâ, in quâ continetur fides primorum Christianorum.

Joh. 17. 3. Tamen quaere.

4: Heb. 11. *Fides est substantia rerum sperandarum, argumentum non apparentium.* Aquinas sic explicat: Substantia. *i. e.* inchoatio, sicut se habet fundamentum ad domum, aut principia ad demonstrationem. Erit, inquit, in hâc formâ perfecta fidei definitio: *Fides est habitus mentis, quo inchoatur in nobis vita æterna, faciens intellectum assentiri non apparentibus.* At revera fides est ipse assensus, non faciens assentiri.

5: Con-

5: Confessio est actus exterior fidei historicæ. Est tum necessaria ad salutem, cùm per ejus omissionem subtraheretur honos debitus Christo, aut etiam charitas proximis impendenda. Confessio Christi non fit solùm ore sed opere etiam; dum non solùm ipsum laudamus sed etiam mandatis ejus obsequimur. Imò, si quis Christianæ religionis professor studeat avaritiæ, ambitioni &c, non est dubium quin sit hypocrita, & diabolum mente, licèt Christum ore colat

6: Nobilissimus gradus confessionis est martyrium; de quo sana est regula: *Non sanguis sed causa facit martyrem.* Si quis ex superbiâ aut inanis gloriæ cupiditate Christum usque ad mortem profitetur, is non est martyr Christi sed suorum vitiorum: *Sed num mori pro doctrinâ Christi abluit omnia peccata actualia.* (Unde baptismus sanguinis) ? Resp: solus Christi sanguis abluit peccata nostra. Martyrium si non est necessarium, ipsum est peccatum; si est necessarium est pars officii. & si debemus pati, patiendo non meremur. Mori pro Christo adeo non tegit alia peccata, ut pro eo non mori sit peccatum. Post hæc non est dubitandum, quin scincerus martyr migret rectá in cælum; sed ut dixi ob effusum sanguinem Christi non ob suum.

7: Adhuc de fide historicâ, ad salvificam pergamus. Hîc inprimis quæritur, *an fides historica, Christianorum possit esse sine Charitate?* Non intelligo quî possit. Nam Evangelium est summè bonum homini, ergo eo credito non gaudere homo non potest. Qui autem gaudet evangelio diligit ejus authorem.

Ob: *Dæmones credunt sine pio affectu, quidni & homo?* Resp: Evangelium non est bonum dæmonibus. Credunt Christum venisse Servatorem hominum at non

dæmonum; itaque eo triſtantur. Sed obiter: *an non omnis intellectus delectatur in vero quod eſt proprium ejus objectum?* Reſ: omnis intellectus ſecundum naturam agens delectatur vero; at intellectui dæmonum eſt pænale verſari circa bonum hominum; contremiſcunt ergo non ut creaturæ rationales ſed ut damnatæ. Fides noſtra eſt aſſenſus intellectus ex imperio voluntatis tendentis in bonum; fides dæmonum eſt aſſenſus coactus perſpicuitate argumentorum per quæ Evangelium introducebatur.

8. Fides ergo præciſè conſiderata, quatenus intellectus fertur in veritates Evangelicas ut veras, dicitur hiſtorica. Eadem conſiderata complexè cum ſpe & amore quatenus ſcilicet animus aſſentit iiſdem veritatibus ut bonis, dicitur fides ſalvifica. Hanc ſic explicat Jackſonus in libro Anglicè ſcripto *de fide ſalvificâ.* Verum eſt objectum intellectus, ergo intellectus verſatur circa verum cum delectatione; at delectatio eſt in bono; ergo verum eſt bonum. Iterum ens & bonum æque latè patent & omne ens fertur in proprium bonum; ergo intellectus inclinatur in verum; at in rationalibus idem eſt inclinari in aliquid quod eſt illud appetere; ſed appetitus rationalis eſt voluntas; ergo intellectus eſt voluntas. Et, ut voluntas includitur in intellectu, ſic intellectus etiam in voluntate; nam voluntas non poteſt appetere bonum niſi ut notum.

9: Poteſt vero ad hæc dici, quòd anima apprehendit verum per intellectum, in eo verò delectatur per voluntatem. Et intellectus non inclinatur in verum, ſed anima per voluntatem inclinatur in verum quod per intellectum apprehendit. Utcunque, ratiociniis Jackſoni videtur oſtendi inſeparabilis quædam Complicatio intellectus & voluntatis, atque adeo veram

fidem

fidem in hominibus nunquam esse informem (ut appellant) seu sine Charitate.

10: Idem Jacksonus luculenter ostendit, quòd verba significantia sensum seu intellectum in sacrâ scripturâ includant plerumque affectus illum sensum rite concomitantes. Sic Psal. 137. 4. *Si obliviscor tui* ô *Jerusalem* &c. *i. e.* si non angor de excidio tuo. Sic Nehem: 13. 29. *Memento earum mi deus i. e.* Puni sic Heb. 13. 3. *Mementote vinctorum* &c. *i. e.* miseremini. Psal. 1. 6. *Dominus novit viam justorum. i. e.* approbat & tuebitur. Sic Jo. 3. 15. *Quicunque credit in eum non peribit* scilicet quia, qui credit obsequitur. Sic *justificamur solâ fide*; at fide operante. Nam dicit Dominus Mat. 5. 20. Nisi justitia vestra excesserit justitiam Scribarum & Pharisæorum, non introibitis in regnum cælorum.

11: Atque hinc facilé redduntur concordes S. Paulus & S. Jacobus. Ille dicit: *Justificamur solâ fide sine operibus legis, i. e.* legis Mosaicæ. Quippe disputabat contra Judæos superbientes de observantiis suis legalibus: S. Jacobus dicit, quod *Justificamur fide & operibus* scilicet operibus evangelicis. Non enim disputabat tum temporis contra Judæos sed contra Christianos hypocritas.

12: Nonnulli dicunt bona opera necessaria esse ad sanctificationem & salvationem non autem ad justificationem. Hos sic refutat Jacksonus: tum fides solùm eripit nos ab inferno; bona opera verò in cælum evehunt, quod est multò majus. Iterum, Si bona opera non sunt necessaria ante justificationem sed solùm pòst, tum supponamus hominem mori in momento justificationis: is non damnabitur, utpote justificatus; nec servabitur, quia dicit Dominus: *nisi justitia vestra excesserit* &c.

13: Sed *quomodo justificat fides? num ut opus?* Non nulli-

nulli dicunt quòd fides unit nos Christo, & quod justitia Christi imputatur omnibus sic ei unitis. Unde etiam fidem appellant manum quâ apprehendimus merita Christi; & justificari est vestimentis indui majoris fratris. Sic Owenus & alii allegorici Theologi, quibus non immorabor, ut pote prorsus debellatis ab Hotchkisso & Sherlocko libris Anglico idiomate conscriptis. Ego mihimet rem sic expedio. Cùm Christus in terris esset, fidem identidem ab iis exegit, quorum gratiâ miraculum faceret. Cur eam exegerit disserui. P. 4. s. Jam reputo justificationem peccatoris esse ingens miraculum, gratis quidem a Christo editum, non tamen præberi nisi credentibus ob rationem quam adhibui de aliis miraculis. Summa est; Deus justificat peccatorem *i. e.* solvit à reatu peccatorum. Causa ejus meritoria seu inducens est passio Christi. Fides personæ est conditio seu causa sine quâ non. Inest ergo justificato justia inhærens, sed quæ eum non justificat à reatu peccatorum non solùm ob imperfectionem, sed quia hæc justitia est pars officii nostri, nec potest compensare pro delictis. Operando jam bene non solvimus pro malis antè gestis, quia tenemur semper bene operari.

De effectibus fidei.

14: Hi statuuntur: 1ò *Timor Dei.* Nam per fidem apprehendimus Deum ut justum judicem, unde injicitur metus pænæ. Et ubi fides est sine charitate, ut in dæmonibus semper, tum timor est servilis. Ubi verò fides operatur per charitatem, ibi est timor filialis, qui refugit separationem à Deo ut summum malum; vel quo nolumus ei nos æquare ob reverentiam. Per fidem enim existimamus de Deo, quòd sit immensum quoddam bonum, a quo separari est pessimum, & cui vel æquari est malum. 15:

15. Secundus effectus ſtatuitur *purificatio cordis* Scilicet ab affectibus vitioſis et mundanis. Nam Sicut argentum non redditur impurum commixtione auri ſed ſtanni aut plumbi; ſic cor redditur impurum commixtione terrenorum et vitiorum, et purificatur per contrarium motum ad Deum, cujus motus initum eſt fides. Actto: 15. 9, *fide purificans corda eorum.*

16. E fide etiam hiſtoricâ Chriſtianorum emanat dilectio Dei, ſpes etiam et fidelitas (in obſequendo ſcilicet omnibus ejus mandatis), et fiducia ſeu acquieſcentia in Deo, quicquid intentent alia. Quin fides eſt moderatrix omnium virtutum, quatenus ſcilicet eſt oculus, quo Deum (pro hujus ſtatus modulo) videmus, et voluntatem ejus cognoſcimus. Et eſt fides per ſe prima virtus, et principium totius ædificii Chriſtiani. Per accidens autem virtutes morales ſunt priores fide, in quantnm ſcilicet removent id quod prohibet credere. Sic humilitas amovet ſuperbiam, fortitudo timorem.

17. Certitudo ſtatuitur quoddam adjunctum fidei. *Vtra autem eſt certior ſcientia an fides?* conſideratis utriuſque cauſis fides eſt certior ſcientiâ; hæc enim innititur ratiocinationi humanæ, illa veracitati divinæ; at ex parte ſubjecti ſcientia eſt certior fide, quia intellectus hominis pleniùs conſequitur ſcitum quàm creditum. Ita Thomas in ſummâ. Ego puto certo non eſſe certius, ſicut nec pleno plenius. Ratiocinatio etiam humana eſt opus Dei non minùs quàm fides, et ejus veracitatem non minùs gerit. Quin ipſa fides divina dependet a variis ratiocinationibus humanis, ratione teneo Deum eſſe, eſſe veracem, hæc dixiſſe &c.

17. Licèt verò fides Chriſtiana ſit per ſe certiſſima;

ma ut ostensum est primâ parte; tamen per infirmitatem humanam sæpe et in multis vacillat. Verum hanc ipsam vacillantem fidem accipit Christus & fovet, ut ostensum est 4. p. sec: Mat. 12. 20, *calamum attritum non franget*.

Obj. *Si fides est semper certa, quomodo dicitur vacillare quomodo dicitur Exigua?* Respondeo: actus fidei habet semper certitudinem annexam; sed fides non semper agit, verum actus ejus interpolantur multis aliis cogitationibus, interdum etiam fidei contrariis & ejus interitum conantibus. Ubi hi conatus sunt fortes & frequentes, fides dicitur exigua & vacillans, aliquando etiam abigitur. Itaque ingens nascitur confirmatio fidei ex ejus frequenti exercitio; quippe quod possessionem animæ quasi soli fidei vendicet, dubitationibus nullo loco relicto.

Ob: Sed obiter, *Si certo non est certius cur comparatur certus?* Resp: certior i. e. meliori jure certus. Vide sis Inquisitionem sec. 2.

Ob: *Visio est certior auditu, ergo scientia fide. Res:.* Sensus videndi & audiendi sunt æquè certi; sed quo ad objecta visio est plerumque certior auditu i. e. certiores plerumque sumus de visis quàm de auditis, quia plerumque audimus ab hominibus qui frequenter sunt mendaces. Quæ verò ex Deo audimus sunt omnium certissima, quia ipse est prima veritas.

19. Aliud quasi adjunctum fidei Christianæ statuitur donum intellectus Esai: 11: 12 *Requiescet super eum &c.* Est dictum de Christo, & intelligendum quadantenus de omni Christiano per derivationem à Christo. Per donum intellectus significatur lumen supernaturale homini datum ad cognoscendum ea quæ per lumen naturale cognoscere non valet. Annectunt etiam fidei donum scientiæ menti ad credenda á

non

non credendis, & facienda à non faciendis lumen subministrans.

De Oppositis Fidei.

20: Fidei ipsi opponitur infidelitas. Ea sumpta secundum puram negationem. *i. e.* merè non habere fidem, non est peccatum, sed potiùs pœna sequens ex peccato originali. Jo: 15. 22. *Si non venissem & loquutus fuissem, non habuissent peccatum. i. e.* Eorum infidelitas non imputaretur iis ut peccatum. At infidelitas ut contraria fidei est gravissimum peccatum, utpote contemptus bonitatis divinæ.

21: Infidelitatis numerantur tres species: Gentilismus, Judaismus & Hæresis. Gentilismus est materialiter maxima infidelitas; sed formaliter in quantum infidelitas est peccatum, Judaismus est gravior, quia acceperunt figuram evangelii, quæ erat quasi aurora respectu diei evangelicæ. Gravissima ad huc est hæresis, quæ renititur fidei claræ. Hæretico tamen sæpe in animo est assentiri Christo, sed pro doctrinis Christi eligit quæ sua mens suggerit. Verùm cùm diversi à diversis statuantur judices doctrinarum Christi, pene omnes Christiani à suis oppositis hæretici convitiosè appellantur.

22: Apostasia est fastigium hæreseos, scilicet generalis defectio à fide. De hâc en doctrinam Aquinatis 22: q. 12. a. 2. *Quam citò aliquis denunciatur excommunicatus propter apostasiam à fide, ipso facto ejus subditi sunt absoluti à Dominio ejus & à juramento fidelitatis quo ei tenebantur.* Et objicienti, quòd Julianus Apostata habuerit sub se Christianos milites, respondet, *in novitate Ecclesiæ ista facta fuisse, eam quippe tum non habuisse vim terrenos principes coercendi.* Et

tam in tolerabilem doctrinam probat solâ authoritate Gregorii septimi. *Nos sanctorum prædecessorum statuta tenentes, eos qui excommunicatis fidelitate aut juramenti sacramento sunt constricti, Apostolicâ authoritate à sacramento absolvimus, & ne sibi fidelitatem observent, omnibus modis prohibemus.* Observa 1. *principes dominio privari non ob apostasiam* solam sed ob excommunicationem quacunque de causâ. Observa 2. apud illos omnem hæresin esse apostasiam, nec ullum articulum credi ab eo qui unum rejecit. Verum hanc doctrinam suam esse ad extremum halitum negant Nostrates Jesuitæ, scilicet Gregorio & Aquinate mitiores.

23: Blasphemia derogat Deo, vel negando ea quæ ei conveniunt, vel attribuendo ea quæ non conveniunt. Quicquid enim non est Deus, est infinitè infra Deum. Quatenus blasphemia fit ore, opponitur confessioni fidei; sed fit etiam corde, nam damnati amant adhuc peccata sua, & anguntur de iis solùm ob pœnas quas peccatorum ergo patiuntur, Itaque etiam detestantur justitiam divinam. Fit autem blaspemia vel secundum solam opinionem intellectus, vel etiam adjunctâ quadam affectus detestatione.

24: Dono intellectus & dono scientiæ opponuntur cæcitas mentis & hebetudo sensus. Cæcitas mentis est privatio ejus quod est principium visionis mentalis. Hoc principium est triplex; 1. lumen naturæ, quod nunquamt ollitur à mente, non nunquam tamen impeditur ab operando per impedimenta virium inferiorum quibus indiget intellectus humanus ad intelligendum, ut patet in amentibus & furiosis. 2. lumen gratiæ, & hujus amissio est pœna peccati. Is: 6: 10. *Excæca cor corpuli hujus.* 3. aliquod intelligibile princi-

principium, per quod homo intelligit alia. Huic autem mens hominis poteſt intendere vel non intendere. Non intendere autem oritur vel é ſpontaneâ averſione Pſal. 36. *Noluit intelligere* (ſcilicet divina) *ut bene ageret.* Vel oritur ex occupatione mentis circa alia quæ magis diligit. Utroque modo hæc cæcitas menetis eſt peccatum.

Ob: Jo: 9. 41. *Si cæci eſſetis non haberetis peccatum, i. e.* Si cæci eſſetis ex naturali infirmitate. Hebetudo ſenſus eſt quædam debilitas mentis in conſiderando ſpiritualia.

SECT. IV.

De Spe.

Omnes Chriſtiani profitentur ſpem vitæ æternæ.

1: PRincipale objectum ſpei Chriſtianæ eſt vita æterna; quin & omnia alia bona ſperant Chriſtiani; nam *qui filium dedit, quomodo cum eo non dabit omnia?* At iſta inferiora ſperant ſecundariò & ut adjumenta ad vitam æternam procurandam.

2: Fundamentum ſpei Chriſtianæ eſt *veracitas* Dei, qui promiſit vitam æternam omnibus evangelio perſeveranter obſequentibus: & ejus *benignitas* ad præbendum auxilia neceſſaria ad obſequendum evangelio. per fidem innoteſcit nobis, quod ad vitam æternam poſſumus pervenire; Nam dixit Chriſtus:

 Venite

venite ad me omnes qui lassi estis, &c. Innotescit etiam, quòd ad hoc paratum est nobis divinum auxilium; scribitur enim: *Ecce, sto ad portam & pulso, &c.* Rev: 3. 20. Anima ergo innitens promissis & auxilio Dei, per *spem* prægustat vitam æternam. Et per hoc patet, quomodo spes nascatur è fide.

3. Nonnulli parum esse putant sperare sibi vitam æternam, certitudinem affectant; scilicet Deum cordi inspirare: *Ego te nunquam deseram.* Rege & ecclesiâ exulantibus egi aliquot annos Hentone Divi Georgii in ædibus nobilissimi Domini Poulett, quâ familiâ non erat alia tum temporis in Angliâ terrâ Heroum feracissimâ, aut fidelior Regi, aut amicior Ecclesiæ, aut omni virtute illustrior. Erat ibi parochus *Mr. Hallet* qui stabat à partibus presbyterianis. Is tredecim deinceps habuit conciones super hoc divino (ut ille appellitabat) axiomate: *Finis ultimus hominis proximè ad gloriam Dei est adipisci certitudinem futuræ beatitudinis.* Novissima concio impendebatnr his duabus quæstionibus: *An hæc certitudo sit necessaria ad salutem?* &: *An hæc certitudo possit amitti?* Priori respondit ille negativè; Oblitus quòd hanc certitudinem posuerat finem totius humanæ vitæ proximum ultimo. Quid? num omnis nostra opera impendenda est dono sine quo possumus esse beati? Secundæ respondit ille affirmativè. Quid? Fuisti certus de vitâ æterna & jam non es certus? Quæ malùm est hæc incerta certitudo? Meministi quo titulo certus eras, ergo & jam certus es. Si Deus dixit: *Nunquam te deseram,* Certus es de Dei favore, nisi verbis ejus potes diffidere. Summatim, si perseveranter obsequor Evangelio, certus sum de vitâ æternâ; sed spero quòd perseveranter obsequar Evangelio;

vangelio; ergo ſpero de vitâ æternâ. Et qui ultra hanc ſpem, ullam certitudinem vitæ æternæ (ſine quidem particulari revelatione) ſibi arrogat, is non verbo Dei ſed ſuis furiis innititur.

4: Quod ad ſubjecta ſpei Chriſtianæ, certum eſt eam non eſſe aut in beatis aut in damnatis, nec quidem niſi in ſolis fidelibus, cùm fide prorſus enaſcatur. Quòd verò ſit ſpes poſt hanc vitam diſputant nonnulli ex 1. Cor. 15. 19. *Si in hâc vitâ tantùm haberemus ſpem, eſſemus omnium hominum miſerrimi.* Reſp: in hâc vitâ tantùm *i. e.* in rebus hujus vitæ tantum.

5: Spei affigunt donum timoris Dei. Objectum autem timoris eſt malum & id unde malum emanare poteſt. Deus non poteſt timeri ut malum ipſum, quia eſt ipſa bonitas. Debet autem timeri à peccatoribus, ne iis malum ex eo obveniat, quia eſt juſtus.

Ob: *Omnia opera Dei ſunt bona.* Reſp: Supplicium peccatoris eſt bonum abſolutè quia eſt juſtum; eſt malum ſecundum quid tantum. *i. e.* peccatori; & eatenus pœna non eſt à Deo qui inflixit, ſed à peccatore qui meruit.

6: Timor eſt vel mundanus, cùm metu mundi à Deo avertimur; vel ſervilis, cùm ad Deum convertimur metu pœnæ tantum; vel filialis ſeu Caſtus, cùm ad Deum convertimur metu culpæ ſeu offenſæ; vel initialis, cum ad Deum convertimur metu & pænæ & culpæ.

7: Timor mundanus naſcitur ex amore in ordinato mundi; itaque eſt malus, ut à mala radice.

8: Timor ſervilis eſt malus quoad defectum charitatis; quod ad ſubſtantiam videtur eſſe bonus, & eatenus manere etiam adveniente charitate. Nam eſt ſecun-

cundum naturam quòd nosmet amemus & vitemus nocua. Et sine dubio timor servilis disponit ad filialem.

9: Timor Domini dicitur initium sapientiæ. Psal. 111. 10. Sapientia quoad essentiam est ex articulis fidei, quoad opera initium habet ex timore Dei. Sapientiæ enim est regulare humanam vitam secundum rationes divinas, adeoque hinc initium sumit, quòd homo revereatur Deum, seque ei subjiciat, (quod est timoris filialis) sic enim consequenter in omnibus secundum Deum regulabitur. Timor etiam servilis est initium sapientiæ, tanquam extra disponens; in quantum scilicet quis timore pœnæ discedit á peccato, & per hoc habilitatur ad effectum sapientiæ

10: Charitate crescente crescit filialis timor; crescente quippe causâ, crescit effectus. Perfectus autem amor ejicit timorem servilem, quoad servilitatem prorsus quidem. Cresente autem charitate decrescit timor servilis quoad substantiam. *i. e.* quantò quis magis diligit Deum, tantò minùs timet pœnam; 1. quia minùs attendit ad proprium bonum; 2. quia firmiùs inhærens magis confidit de præmio.

11: Ad donum timoris attinet paupertas Spiritus, quæ est exinanitio inflati; vel etiam est abjectio temporalium; & videtur idem sonare quod abnegatio sui. Qui enim perfectè subjectus est Deo non magnifacit seipsum per superbiam, nec opem expectat à divitiis, honoribus aut aliâ quacunque re sine Deo. Psal. 20. 7. *Hi in curribus, hi in equis, nos autem in nomine Domini nostri.* Non est ergo Christianus pusillanimus, sed fretus Deo parvi habet alia. Sic, cùm Christianus abnegat se, sibi maximè consulit; quippe ista relinquens ad Deum aspirat.

12. Spei opponitur desperatio, quæ nascitur é falsâ opinione de Deo, quasi aut non det pænitenti veniam, aut non offerat peccanti gratiam. Itaque desperans suam culpam anteponit bonitati Dei.

13: Spei etiam apponitur præsumptio, utpote ejus excessus; ut cùm quis veniam expectat pro peccatis sine pœnitentiâ, aut vitam æternamsine bonis operibus. Desperatio contemnit misericordiam Dei, & præsumtio justitiam.

SECT. V.

De Charitate.

Præceptum charitatis apud Christianos est. Diliges Dominum Deum tuum toto corde tuo, & totâ animâ tuâ; & tota mente tuâ; & proximum sicut teipsum.

1: DEus est diligendus propter seipsum, cùm non habeat aliunde quòd sit bonus. Immensa tamen utilitas nobis accrescit ex hoc amore Dei. Itaque etiam spes & timor ducunt ad amorem Dei dispositivé. Sicut disponimur ad amicum diligendum per beneficia accepta, sèd postquam amare incepimus, non propter illa beneficia amicum diligimus, sed propter ejus virtutem. Est ergo Deus diligendus, & quia est oceanus

omnis

omnis perfectionis in seipso, & quia est fons omnis perfectionis ad nos derivandæ.

2: Ut fides & spes, sic etiam charitas statuitur esse habitus mentis infusus. Magister autem Sententiarum dicit charitatem esse ipsum Spiritum sanctum, qui operatur in animâ dilectionem immediatè, *i. e.* nullo habitu mediante. Aquinas hoc sic refutat: Habitus reddunt potentias promptas in agendo, at promptitudo maximè relucet in dilectione; ergo si ullus est habitus mentis, certè charitas est habitus. Et, Si Spiritus sanctus produceret dilectionem in animâ non concurrente activè, tum dilectio non esset voluntaria (quod est contra essentiam dilectionis), nec nostra quidem.

Ob. Deus est amor. Resp: Deus amat creaturas, & hic amor est Deus, & noster amor est participatio amoris divini.

Ob: 2: Deus est vita animæ, Deut 30: 20. *ipse est vita tua.* Sed anima vivificat corpus per seipsam, ergo & Deus vivificat animam per seipsam. Resp: Deus est vita animæ effective non formaliter.

3: Charitas est una virtus, licèt feratur in Deum & proximum; quia fertur in proximum ratione Dei.

4: Fides attingit Deum, ut revelatorem articulorum; Spes ut communicaturum nobis beatitudinem suam; Charitas Deum amplectitur in totâ suâ perfectione; itaque maxima harum est charitas.

5: Charitas à Servatore statuitur summa legis; quia scilicet omnes nostræ actiones debent ordinari ad Deum ut summum bonum & finem ultimum, ac proinde procedere debent ex charitate seu amore Dei. Amor Dei super omnia subjicit omnia Deo. Atque ob hanc ordinationem actuum nostrorum ad Deum,

Deum, Charitas non malè (licèt impropriè) dicitur forma virtutum; quia ſcilicet perficit earum actus, eos ordinando ad Deum. Itaque etiam à Sancto Jacobo Charitas comparatur ad fidem, ut anima ad corpus. Sic etiam Charitas dicitur *radix* & *fundamentum*, Eph. 3. 17 quoniam ab eâ ſuſtentantur & nutriuntur omnes aliæ virtutes; & ſine quâ nihil bene geritur. 1. Cor. 13. 1, 2, &c.

6 Charitatem poſſe amitti videtur ex Apoc: 2. 4. *habeo adverſus te pauca, quoniam primam Charitatem reliquiſti.* Charitas enim viæ non eſt perfecta, quia non fundatur in viſione Dei ſecundum eſſentiam, ſed in ænigmaticâ viſione fidei, itaque nec ſemper actu verſatur circa Deum, & tum cùm non ita verſatur, poteſt aliquid occurrere quod invitet animum labilem ad peccandum.

Ob: *Charitas excludit omne motivum ad peccandum.* Reſp. Quamdiu Charitas agit, ſed non aliàs.

7: Statuitur in ſcholâ Charitatem amitti ob unum peccatum mortale; nam Charitas eſt via ad cœlum, peccatum mortale ad gehennam. Quia tamen actus peccati non directè opponitur habitui Charitatis, ſed ejus actui & ratione actus habitui, itaque reputant multi, Charitatem per unum peccatum grave peſſundari quidem, ſed non amitti niſi paulatim & per plura peccata. Mihi incredibileeſt Petrum non dilexiſſe habitualiter Chriſtum etiam tum cùm eum negaret. Scilicet per gravem tentationem ſopitus fuit ardor Charitatis, qui tamen citò ſe ſuſcitavit: Nam ut reſpexit Dominus, *Exivit Petrus & flevit amarè.*

8: Charitas eſt quædam amicitia cum Deo qui communicat nobis beatitudinem ſuam. Jo: 15. 15.

Jam non dico vos servos, sed amicos meos. Itaque Charitas Dei causâ extenditur ad proximos etiam peccatores, etiam inimicos; in quantum scilicet sunt creaturæ rotionales & capaces beatitudinis. Mat. 5: 44. *diligite inimicos vestros.* Cum angelis etiam & animabus beatis Charitatem colimus, utpote qui jam sunt ubi nos fore speramus.

9: Quatuor ponuntur specialiter diligibilia: *Deus* ut fons beatitudinis; *Nos ipsi ut* capaces beatitudinis; *Angelus & homo* ut consortes nobis in hâc capacitate; tum *Corpus nostrum*, ut id in quod derivabitur beatitudo ab animâ. Diligimus quidem proximum & secundum animam & secundum corpus, sed utrumque ratione consociationis in beatitudine. Ex parte ergo proximi est una tantum ratio dilectionis, itaque nec corpus ejus ponitur ut speciale diligibile

10: Deus est diligendus magis quám nosipsi; nam bonum quò communius eò melius; at Deus est commune bonum omnium. Non puto tamen posse animam amare Deum cum expressâ renunciatione suæmet beatitudinis; nam amor Dei est certissima causa nostræ salutis; eumque à salute nostrâ separare, est loqui contradictoria; & potest fieri ore non mente.

11: At quisque debet magis diligere seipsum: *i. e.* partem spiritualem, quàm proximum. Nam diligit seipsum ut possessurum beatitudinem, proximum ut ei consociandum in hâc possessione: Sed majus est bonum habere beatitudinem quám habere socium in beatitudine, ut unitas potior est quàm unio. Itaque etiam amor nostri est regula amoris erga proximum. *proximum sicut teipsum.* proximi tamen anima perferenda est proprio corpori; quia (inquit Aquinas) proximus

inus consociabitur in gloriâ perfectâ corpus solùm in gloriâ per redundantiam. Sed revera corpus nostrum postponimus animæ proximi, quia sors corporis est momentanea ,animæ æterna. Hinc ponenda est *vita pro fratribus* scilicet ubi tenemur eorum saluti consulere.

12: *Num omnes proximi sunt æqualiter diligendi?* Non puto; nam maledicere parentibus est gravius peccatum quàm maledicere aliis hominibus; ergo major dilectio debetur parentibus. *Quis ergo servandus est ordo?* Principium dilectionis est Deus & ipse diligens; ergo secundum majorem propinquitatem ad Deum & ad diligentem major Charitas debetur. Hæc tamen intensio est solùm in actu dilectionis non in bono quod optamus; debemus enim optare omnibus summ um bonum.

13: Dilectio inimici pæeminet dilectioni amici quoad duo. 1ò. quia potest esse alia ratio præter Deum diligendi amicum; solus Deus est ratio diligendi inimicum. 2ò, supposito quòd amicus non diligatur nisi propter Deum, tamen diligere inimicum probat fortiorem esse Charitatem erga Deum, quæ in remotiora tendit & difficiliora superat; sicut quò fortior est ignis, eò remotiora comburit. Intensior tamen est dilectio amici quam inimici, sicut etiam ignis fortiùs agit in propinquiora.

Effectus Charitatis.

14: Principalis actus Charitatis est dilectio; quæ ultra benevolentiam importat unionem affectus, in quantum scilicet diligens æstimat dilectum ut ad se pertinentem & quasi unum sibi. Benevolentia autem est

quâ volumus alicui bonum, etiam non præsuppositâ dictâ unione affectus.

15: Effectus consequentes dilectionem Charitatis sunt interni vel externi: interni sunt gaudium, pax & misericordia. Gaudium Charitatis est duplex. Prius est de infinitâ Dei beatitudine; ut solemus gaudere quòd amici bene se habeant, etiamsi nihil inde nobis proventurum sit. Posterius gaudium est de nostrâ divinæ beatitudinis fruitione. Prius nascitur è Charitate, posterius è Charitate & spe. Rom. 12. 12. *Spe gaudentes*. Prius non patitur admistionem luctus, quia bonum divinum est incommutabile; posterius admittit luctum de peccatis quæ impediunt.

16: Concordia est unio appetituum in diversis appetentibus; & potest esse in malis. Pax spiritualis huic addit unionem appetituum in eodem appetente. Nam appetitus sensitivus est plerumque infensus rationali, & voluntas naturalis motibus gratiæ. Gal. 5. 17 *Caro concupiscit adversus Spiritum*. Quin idem appetitus sæpe in diversa fertur, quæ tamen simul assequi non potest. Unio autem horum appetituum est pax; tum enim solùm habet quis cor pacatum cùm habet id quod vult.

17: Jam vide sis quomodo hæc pax nascatur è Charitate. Charitas est amor Dei super omnia; quia nos efficit omnia Deo submittere. Ecce unio appetituum in nobismet. Iterum, Charitas est amor proximi ut nostrimet; qui nos efficit appetere bonum proximi ut nostrummet. Ecce unio appetituum nostrorum cum aliis. Dissentio tamen in opinionibus potest esse in Charitatem habentibus, ut inter Paulum & Barnabam.

18: Misericordia est dolor de miseriâ alienâ. Hæc quatenus est motus appetitus sensitivi est *passio*. Quando

verò

verò est motus appetitus intellectivi, secundum quem alicui displicet malum alterius, atque hæc displicentia regulatur per rationem, tum misericordia non est *passio* sed *virtus. Misericordia autem servit rationi, quando ita præbetur misericordia, vt servetur justitia, sive cum indigenti tribuitur, sive cùm ignoscitur pænitenti.* Aug: de 9: civi: Dei. l. 9. c. 5.

19: Actus exteriores Charitatis ponuntur, Beneficentia, Eleemosyna & correctio fraterna. Voluntas est effectiva eorum quæ vult, si facultas adsit; itaq; quæ est benevolentia parit beneficentiam. Si quidem bonum collatum est debitum, tum beneficentia pertinet ad justitiam; quatenus est non debitum, pertinet beneficentia ad liberalitatem; quatenus est collatio boni absolutè, sic pertinet ad Charitatem seu amicitiam.

20: Eleemosyna est opus quo datur aliquod indigenti propter Deum; & sic est actus Charitatis misericordiâ mediante.

Ob: 1 Cor. 13. 3. *Si distribuero in cibos pauperum omnes meas facultates, Charitatem autem non habuero, &c.* Ergo Eleemosyna potest esse sine Charitate. *Resp.* Eleemosyna materialiter, *i. e.* aliquid datum indigenti potest esse sine Charitate; sed formaliter dare Eleemosynam, est dare propter Deum, promptè etiam & hilariter; & sic est ex Charitate. Eleemosynæ sunt corporales vel spirituales, duobus versibus juxta positæ:

Visito, poto, cibo, redimo, lego, colligo, condo:
Consule, castiga, solare, remitte, fer, ora.

21: Correctio fraterna est spiritualis quædam Eleemosyna. Ejus finis est emendatio fratris; itaque fieri debet solùm in circumstantiis isti fini congruis; sicut om-

omnia præcepta affirmativa ligant semper sed non ad semper. Correctio justitiæ pertinet ad solos præfectos. At subditi etiam ex Charitate, possunt admonere suos prælatos; sed cum omnimodâ cautione. Hoc autem officium minimè decet hominem notæ nequitiæ Rom. 2. 1. *In quo alium judicas, teipsum condemnas.* Imò, si ipse tibi es malè conscius, impudentiæ erit velle alium corrigere Mat. 7. 5. *Primùm erue tralem ex oculo tuo, & tum clare videbis festucam ex oculo fratris eximere.* Imo, quia reprehensio videtur supponere eximiam virtutem reprehensoris vide ne onerosus sis fratri, non solùm ejus vitium patefaciendo, sed etiam tuammet extollendo virtutem. Correptio fraterna est officium sed & cautè & parcè exercendum. Certè quos ego unquam novi promptos Correptores (nisi ubi ex particulari munere incumberet) ferè omnes ostendebant magis calorem cerebri, quám cordis Charitatem.

Vitia Opposita Charitati.

22 Ea sunt 10. odium Dei & proximi. Deus secundum essentiam est ipsa bonitas, nec potest odio haberi. Ratione etiam quorundam effectuum, ut sunt esse, vivere, intelligere, Deus non potest haberi odio; nam isti effectus diliguntur ab omnibus. In quantum autem Deus apprehenditur ut peccatorum prohibitor et vindicator, potest ab inordinatâ voluntate odio haberi Jo. 15. 24. *Nunc & viderunt & oderunt me & patrem meum.* Odium Dei est gravissimum peccatum, nam optimo opponitur pessimum, at odium Dei opponitur ejus dilectioni. præterea, odium Dei est formalis aversio à Deo, quæ non est nisi annexa cæteris pec-

peccatis; nam fur (*e. g.*) optaret furari non esse offensam in Deum.

23: Quantum ad proximum, debemus eum amare secundum id quod habet à Deo, *i. e.* secundum naturam & gratiam odisse autem ea debemus quæ habet à se & à Diabolo, *i. e.* peccatum; nam odium est ex amore. Odium proximi secundum naturam aut gratiam est gravissimum peccatorum in proximum, quantum ad deordinationem; quantum autem ad effectum odii, quod est nocere, alia quædam peccata magis nocent, ut furtum & homicidium.

24: Gaudio Charitatis erga Deum opponitur acedia, quæ contemnens dotes possessas, eas non exercet, & videtur esse initium desperationis.

25: Gaudio Charitatis de bono Proximi opponitur invidia, quæ est tristitia de alienis bonis; quatenus scilicet alterius bonum concipitur ut proprium malum, *i. e.* diminutivum suæ gloriæ vel excellentiæ. Si verò alienum bonum concipitur periculosum sibi, ut cùm quis tristatur de exaltatione inimici, tum hæc non est invidia sed quasi justa tristitia.

26: Invidia statuitur vitium capitale, ejusque filiæ nominantur. 1ò. *Susurratio*, diminutio occulta gloriæ alienæ; 2ò. *detractio*, aperta diminutio gloriæ alienæ; 3ò. *exultatio* in alienis adversis; 4ò. *Afflictio* in rebus alienis prosperis; 5ò. *Odium*, quod nascitur è tristitiâ, sicut bonum delectans parit amorem.

27: Opposita paci sunt *Discordia*, *Contentio*, *Schisma*, *rixa*, *Bellum*, *Seditio*. Discordia est peccatum & numeratur inter opera carnis Gal. 5. 20. *Odium discordia* &c. Ea est dissensio circa bonum divinum aut circa bonum proximi. Jam vix quisquam possit velle diminutionem boni divini; sed per accidens & præter intentionem accidit discordia de hoc, nimirum cùm unus putat hoc esse ad Dei gloriam, alius contra-

contrà sentit. Dissensio autem sive circa bonum divinum sive humanum, interdum est culpa utriusque partis interdùm unius partis tantùm.

Ob. Voluntas unius non est regula voluntatis alterius, ergo discordia non est vitium. Resp: Voluntas unius non est de se regula voluntatis alterius; sed in quantum voluntas proximi inhæret voluntati Dei, fit per consequens regula regulata, & ab eâ discordare est discordare à voluntate Dei, quæ est regula omnium voluntatum.

Obj: 2. Excitavit S. Paulus discordiam inter Pharisæos & Sadducæos. *Resp.* Eorum concordia erat mala & conspiratio in malum, itaque bene solvebatur. Nec tamen invexit discordiam S. Paulus, sed in memoriam reduxit eam quæ erat alta mente reposta.

28: Discordia autem Sancti Pauli & Barnabæ oriebatur per accidens & pertinebat ad humanam infirmitatem, & disponebatur à Deo in bonum finem. Est demum discordia communiter filia inanis gloriæ; nam ideò quis discordat ab aliis inordinatè, quia inordinatè præfert sua alienis; quod est superbiæ.

29: Contentio est contrarietas locutionis. Hæc acrimonia in impugnanda veritate est de se peccatum; at si adhibetur contra falsum, & covenit personis ac negotiis censetur laudabilis. Verùm sic etiam sæpe generat scandalum. 2 Tim. 2. 14. *Non contendere verbis, ad nihil enim est utile, nisi ad subversionem audientium.* contentio vitiosa est filia superbiæ sicut & discordia. De Schismate aliquatenus dictum est 2â. parte.

30: De *Bello* solùm dico illud non esse semper illicitum

citum. Dixit Militibus Johannes: *Estote contenti stipendiis vestris.* Quibus autem proprium stipendium sufficere præcepit, eos militare non prohibuit. Et S. Paulus dicit quòd Magistratus *est Minister Dei in iram ei qui malè agit.* Sed non est magis necessarius gladius Justitiæ ad cohibendum turbatores qui sunt intus, quàm est gladius bellicus ad Rempublicam tuendam ab externis hostibus. Ut autem bellum sit justum tria requiruntur, Authoritas indicentis, causa justa, & recta intentio nimirum ut promoveatur bonum vel malum vitetur.

Obj. Es. 24. *Non discent bellare.* Ubi loquitur de tempore Evangelii. *Resp.* Si omnes sinceris animis capessèrent Evangelium, non esset locus bello; quod ut res se nunc habent est aliquando necessarium.

31. Rixa est quando ex irâ privati se invicem percutiunt; ut sit quoddam privatum bellum, atque adeo semper illicitum ac procedens ex inordinatâ voluntate, cùm quisque per jura quod suum est tueri possit. Qui verò solo animo repellendi injuriam illatam, cum moderatione animi se defendit, is non peccat sed agit secundum naturam, cùm non detur mora in jus vocandi. Nec est hoc rixa ex ejus parte.

32. Seditio est inter partes ejusdem communitatis inter se dissidentes tumultus. Opponitur unitati & paci multitudinis, itaque semper est peccatum in excitante.

33. Beneficentiæ Charitatis opponitur *scandalum*, quod est dictum vel factum minùs rectum præbens alteri occasionem ruinæ. Dicitur minùs rectum, quia nihil secundum propriam rationem disponit ad spiritualem ruinam, nisi quod habet aliquem defectum rectitudinis. Perfectè rectum potiùs munit alios contra

casum. Hic defectus rectitudinis est interdum reipsâ malum, ut *peccatum*; interdum est tantum species mali, ut discumbere in templo idoli. Hoc non est secundum se malum, quia idolum nihil est, habet tamen speciem mali, scilicet similitudinem venerationis idoli. Itaque Apostolus monet *abstinere ab omni specie mali*; 1 Thes. 5. 2. Dicitur præbens occasionem non causam, nam causa ruinæ est ipsa voluntas ruentis, quæ tamen invitatur per scandalum.

34. Si quis dicto vel facto minùs recto, intendit ruinam alterius, vel si non intendit, tamen dictum vel factum est de suâ naturâ inductivum ad peccandum, tum scandalum est *activum* & *datum*. Si autem præter intentionem dicentis aut operantis, & præter conditionem dicti vel facti aliquis malè affectus ex hujusmodi dicto aut facto inducitur ad peccandum, tum scandalum est *passivum*, *acceptum* non *datum*. Scandalum quod intenditur directè, opponitur correctioni fraternæ. Cùm Christus dicit Petro: *Tu es mihi scandalum*; scandalum ibî sumitur largè pro impedimento.

35. Charitati adnectitur donum Sapientiæ, quâ homo rectè judicat de divinis. De his rectè judicare per inquisitionem rationis est sapientiæ illius quæ est virtus intellectualis. De iis autem rectè judicare per connaturalitatem ad ea pertinet ad sapientiam quæ est donum Spiritus sancti. Sic timor Domini dicitur sapientia, *i. e.* manifestat sapientiam; per hoc enim ostenditur quòd homo habet rectum judicium de divinis, quòd Deum timet & colit. Sapientiæ donum quod ordinatur ad aliorum salutem non est necessariò in omnibus Sanctis, sed *Spiritus flat prout vult*. At sapientia quâ ad nostrammet salutem dirigimur, est communis omnibus Sanctis; nam Natura non de-

deficit in necessariis, multò minùs gratia.

Obj. *Num etiam infantes & amentes baptizati sapiunt?* Respondetur communiter quòd habent sapientiæ habitum, sed non actum ob impedimentum corporeum. Mihi non est verisimile, quòd Deus ordine gratiæ infunderet habitum, cujus actum ordine naturæ impedire statuit. Saniùs puto dici eos habere sapientiam, fidem, *&c.* non in formali possessione, sed in acceptatione Dei propter Christum, qui passus est pro omnibus.

Jamque progrediendum esset ad considerationem Virtutum moralium, nisi quòd de iis quid dicendum putavi, dictum sit in Tertiâ Parte. Itaque pergo rectâ ad Partes obedientiæ Christianæ.

SECT. VI.

De Partibus Obedientiæ Christianæ generatim.

Omnes Christiani agnoscunt, Christum suis multa præcepisse, iisque Præcepris Christianorum obedientiam deberi.

NOnnulli quidem Ἀντινόμοι dicti videntur statuisse, Evangelium esse quandam quasi fruitionem, eique nihil subesse officii. Sed ii tam pauci fuere, tam vesani & tam apertè bellabant contra Scripturam sacram, ut eorum mentionem non fecissem, nisi nuperis temporibus, cùm Nostratum valde multi insanirent, hoc etiam furore nonnulli fuissent correpti. Appellabantur **Ranters**, impium genus hominum, & à Deo inter cæteras istorum temporum pestes permissum, ut erudiamur quàm sit nulla pars Christianismi

 tuta,

tuta, concessâ semel licentiâ errandi. Contra istas belluas paucos ex infinitis Textibus adducam, Jo. 14. 15. *Si me diligitis, servate mandata mea.* 1 *Jo.* 5. 3. *Mandata ejus non sunt gravia.* 1 Cor. 7. 10. *Conjugibus præcipio, nec tamen ego sed Dominus.*

2. Omnis autem obedientia Christiana (certè quæ omnibus Christianis communis est) stare videtur in bonis moribus & cultu Christiano. Bonos mores appello constans exercitium virtutum. Ac de hac parte obedientiæ Christianæ actum est, quoad virtutes qui idem morales in Tertiâ Parte, quoad virtutes Theologicas in tribus superioribus Capitibus.

3. Cultus Dei in genere est prorsus moralis & est pars Justitiæ, ut demonstratum suppono in Ethicâ. Cultus verò Christianus (quantum ad id quod adfert de integro) est prorsus constitutivus & totus natus ex arbitrio Domini.

4. Cultus Christianus integrari videtur fide & ejus Professione, Precibus, Adorationibus, Laudibus, Sacramentis, Cæremoniis, Prædicatione & auditu Verbi. De Fide & ejus Professione jam modò disserui, eam tamen adnumero Partibus Cultus Christiani, quia Deum maximè colimus in eum credendo, sicut maximus qui potest honor exhibetur homini qui rex eligitur, scilicet quia populus ei se credit. Pariter disserere licet de Spe & Charitate,

5. Dictis Partibus addunt nonnulli tanquam secundarias, *Erogationes* nimirum Sacrificia, Oblationes, Primitias, Decimas, *&c.* tum etiam Juramentum, adjurationem & Promissiones seu Vota,

6. Quod ad modum, Cultus Christianus est privatus vel publicus. Cultus privatus continetur intra parietes unius pectoris aut unius cameræ aut certè unius familiæ. Cultus publicus peragitur à cœtu hominum, & est

est propatulus omnibus fidelibus. Cultus publicus est majoris longè momenti quàm privatus. Nam honor est in honorante, itaque major est qui est à pluribus. Et honor quidem assurgit in nomen gloriæ, si exhibetur à valde multis & claris. Unde sequitur Magnatibus præ aliis incumbere divina frequentare, nam & splendore augent cultum, & authoritate ac exemp'o alios attrahunt. Sequitur etiam Parsimoniæ studentes in sumptibus ad divinum Cultum necessariis, gloriam Dei vili pendere. Et quicunque levibus aut argumentis aut excusationibus constitutos ad Deum colendum cœtus non adeunt, ii frivola ista gloriæ Dei anteponunt. Sed plenum Tractatum de Religione in genere remitto ad Ethicam, & pergo ad singulas partes Cultus Christiani.

SECT. VII.

De Precibus Christianorum.

Christiani precantur à Deo in Nomine Christi omnia quibus opus habent, cum Fide ea impetrandi; maximéque in usu habent Orationem Dominicam, quæ est: Pater noster, &c.

1. PER Damascenum, Oratio est Petitio decentium à Deo. Per Aquinatem; Oratio est quædam Ordinatio rationis aliquid per Deum efficiendi quod ipsi efficere non valemus. Nos autem sine Deo nihil possumus, ergo prorsus omnia sunt ab eo petenda. Non petimus qnidem levia Oratione expressâ & particulari, sed Oratione generali prorsus omnia quæ nobis sunt profutura.

2. *Sed*

2. *Sed num Deus movetur precibus nostris?* Resp. Divina Providentia non solùm disponit qui effectus fiant, sed etiam ex quibus causis & quo ordine proveniant. Itaque oramus non ut immutemus dispositionem divinam, sed ut id impetremus quod Deus disposuit per Orationes Sanctorum implendum esse.

3. Imò Voluntas Dei adeo non mutatur precibus nostris, ut perpetua nostra Petitio sit: *Fiat voluntas tua.* Et hæc Petitio præsupponitur omnibus petitionibus pro bono nostro, *i. e.* submittere nosmet Voluntati divinæ debemus, nec quicquam petere nisi eâ conditione, quòd sit Voluntati divinæ consentaneum. Et hujus ratio est, quòd nos plerumque fallamur in judicio de commodis nostris ferendo, Deus autem non solùm sciat quid nobis profuturum sit, sed & id omne velit quod est profuturum.

4. Itaque etiam sola illa bona à Deo determinatè petenda sunt quibus nemo malè uti potest, ut gloria & gratia; cætera sunt permittenda Deo qui solus scit an ea sint profutura necne. Temporalia quidem licet petere, non propter se tamen sed ut adminicula in viâ ad beatitudinem. Aug. Ep. 121. *Sufficientium vitæ non indecenter vult quisquis eam vult & non amplius; quæ quidem non appetitur propter seipsam, sed propter salutem corporis & congruentem habitum personæ hominis, ut non sit inconveniens iis quibuscum vivendum est. Illa ergo cùm habentur ut teneantur, cùm non habentur ut habeantur orandum est.*

5. Minimè etiam abhibetur Oratio ut manifestentur desidetia nostra Deo, qui omnes nostras *cogitationes cognovit longè antè.* Sed ex beneplacito suo aliqua non vult Deus dare nisi petentibus, licèt multò plura largiatur non petentibus.

6. *Pro*

6. *Pro quibus orandum est?* Pro nobis titulo φιλαυτίας & obedientiæ Christianæ; & pro aliis titulo Humanitatis, Charitatis & Obedientiæ. Summatim orandum est pro omnibus pro quibus Charitas est habenda; nam Charitatis est velle bonum alicui, at quod licet velle licet petere. Unde Oratio pro aliis præeminere videatur Orationi pro nobismet; nam pro nobismet oramus quasi ex necessitate naturæ cogentis φιλαυτίαν, oramus pro aliis ex liberiori Charitate. Pro malis autem orandum est ut convertantur, pro bonis ut perseverent & proficiant. Ac pro bonis quidem oramus triplici ratione. 1. Quia multorum preces faciliùs exaudiuntur. Rom. 15. 30. *Adjuvetis me in Orationibus vestris.* 2. Ut à multis gratiæ Dei agantur ob beneficia bonis collata. 3. Ut Majores non superbiant, dum reputant se minorum suffragiis indigere. Christianissima autem Oratio est pro inimicis, utpote quæ Charitate enascitur non solùm purâ, sed etiam tam validâ ut omnem cupiditatem vindictæ vicerit & triumphatam ducat in sua castra, *i. e.* benefacit ubi natura malefacere summoperè cupiit.

7. *Sed qualis fides requiritur in Orando?* Resp. Requiritur firmus assensus toti Evangelio, & particulariter illis verbis Domini, *Petite & accipietis*, &c. Nisi enim credis Evangelio nondum Christi es, nec in ejus Nomine precaris, cujus tamen solius gratiâ à Deo bona sperare potes. Credendum etiam est quòd petita accipiemus, quia nihil petere debemus nisi ad impletionem Voluntatis Dei. ut n. 3, & 4. Tum etiam hoc credendum est, quia Christus promisit; & postremò, quia Deus dedit Filium pro nobis, & quomodo cum eo non dabit omnia?

8. *Sed cur precamur ea quæ certò scimus esse eventura; ut quod fiat Voluntas Dei, quòd regnum ejus adveniat*

niat, &c? *Resp.* Deus etiam hæc à nobis peti vult, in recognitionem absoluti ejus Dominii & supremæ Bonitatis; tum etiam ut profiteamur eximiam erga Deum Charitatem; nam *idem velle atque idem nolle, ea demum vera est amicitia.*

9. Oratio peccatoris procedens ex desiderio peccandi est Deo odiosa, & nunquam auditur ex misericordiâ, sed aliquando ad vindictam; dum Deus permittit peccatorem ampliùs ruere in peccatum. *Aug. Negat quædam propitius quæ concedit iratus.* At Orationem peccatoris quæ procedit è bono naturæ desiderio Deus audit quidem, sed ex purâ misericordiâ. Aug. *Si peccatores non exaudiret Deus, frustra Publicanus dixisset: Domine esto propitius mihi peccatori.* Deus diligit animam peccatoris, licèt pravitatem ejus odio habeat.

10. *Sed num Petitiones nostræ ad solùm Deum dirigendæ sunt? Resp.* Ad solum Deum absolutè, quia solus est Author omnium bonorum. Multa tamen invicem petimus Mortales sub intuitu fraternæ Charitatis aut etiam Humanitatis ergò, sed non ut ab authoribus bonorum verùm ut à Ministris & Dispensatoribus Dei. Gratiam verò & gloriam à solo Deo petere licet, quia solus dare potest. In his tamen possumus precari Sanctos ut orent pro nobis. Sanctos verò mortuos nihil precari debemus, tum quia nullibi ejus habetur in Scripturâ sacrâ aut Præceptum aut Exemplum; tum etiam quia nescimus an animæ beatæ nos audiant nec ne. *Aug.* de curâ pro mortuis agendâ: *Nesciunt mortui etiam sancti quid agant vivi, etiam eorum filii.*

11. Respondet Aquinas: *Mortuos hæc non cognoscere de suâ naturali conditione, sed quòd pertinet ad eorum beatitudinis perfectionem, quòd in Verbo manifestetur*

iis,

iis, quicquid decet eos cognoſcere. Decet autem ut cognoſcant petitiones ad eos factas ore vel corde. At quæ mirùm eſt hæc Solutio? *Aug.* dicit: *Neſciunt mortui etiam Sancti*, &c. *Aquin.* reſpondet: *Neſciunt quidem de naturali ſuâ conditione*, &c. At Sancti mortui de ſuâ naturali conditione non ſunt beati; num ergo potuit Aug. dicere: Mortui etiam Sancti non ſunt beati. Iterum, quis noſtrûm nôrit quid deceat animam beatam? Certè non eſt neceſſe ut ſciat terrena, nec ex parte ſui quæ ſatis beata eſt videndo Deum; nec ex parte noſtri quibus abundè ſufficit interceſſio Chriſti. Sed ſcilicet preces ad Sanctos funduntur, *ut eorum precibus & meritis orationes noſtræ ſortiantur effectum.* Aquin. Quid? Deus ſe communicando Sanctis an non ſatisfecit eorum meritis? An Chriſti merita & interceſſio non ſufficiunt ad impetrandum nobis omnia bona? In Eccleſiâ tamen Romanâ Popellus multò ſæpiùs appellat Beatam Virginem quàm ipſum Chriſtum.

12. Preces ad animas beatas novo modo tuetur author Libri Anglicè conſcripti, cui titulus *Fiat Lux.* Is negat beatas animas ſcire corda noſtra, nihil etiam cogitatum fuiſſe ait antiquis Chriſtianis de ſpeculo Trinitatis; Preces autem factas voce ad Sanctos, dirigi ſenſu ad Deum. Sancta Maria ora pro nobis, *i. e. O Deus exaudi nos Mariæ gratiâ.* Sicut etiam in Veteri Teſtamento precabantur Deum Abrahami, Iſaaci, Jacobi & Davidis gratiâ.

13. Atque hâc Explicatione bene vulgo infusâ citò frigeſcerent preces ad Sanctos mortuos. Quotus enim quiſque ſperaret ſe priùs à Deo auditum iri ob merita (miſera merita) ſervorum quàm ob illa merita Filii ſui? Simul eos jube hoc credere & prorſus dementire. Huic tamen ipſi Explicationi fere omne adhæret ve-

 ne-

nenum appellandi Mortuos, dum Meritis Sanctorum innitendum esse docet, quasi Merita Christi non sufficerent.

14. *Sed quare ita catervatim curritur ad Sanctos cœlestes?* Dicam. Popellus putat animas beatas non exuisse cum carne facilitatem humanam, & multò exorabiliores esse Majestate Divinâ. Et hanc simplicitatem alunt Magistri docentes, *Summum regem non esse statim adeundum, sed accedentes ad eum opus habere Aulicis per quos introducantur.* Cùm tamen Christus qui solus est Christianismi Doctor, dixerit. *Quicquid petieritis in meo nomine, dabitur vobis.* De intercessionibus Sanctorum ne γρῦ quidem habetur.

Obj. *Cùm Intercessiones sanctorum vivorum non derogent intercessioni Christi, cur ita horremus ab intercessione Sanctorum mortnorum?* Resp. Intercessiones vivorum pro fratribus fiunt ex Mandato Christi, & ob sola ejus Merita; & veri simillimum est animas triumphantes eodem modo, *i. e.* repræsentando Merita Christi intercedere apud Deum pro Militantibus; namque hoc eximiæ eorum Charitatis est. Hoc ipsum tamen ab iis petere non debemus, quia hujus ῥητὸν nec præceptum nec exemplum authenticum habemus. Addo: Suffragia Sanctorum vivorum petere est ipsos ad opus sanctum excitare, & quod cessurum sit tam in ipsorum commodum quàm in nostrum. At Sancti cœlestes sunt in termino nec ulteriùs augeri possunt.

Obj. 2. *An non Judæi audiebantur ob Merita Patrum?* Minimè ob Merita Patrum, sed ob promissionem Dei Patribus factam; & sic tum balbutire licuit infanti Ecclesiæ. Nobis autem nihil promittitur nisi per & propter Christum, itaque solo ejus Nomine à nobis precandum est.

15. Atque hæc de Oratione maximè ut est spiritualis & à mente perficitur; alius ejus modus est vocalis cùm desideria animi ore exprimuntur. Atque hoc modo peraguntur omnes Orationes publicæ; sed & Oratio privata & singularis potest esse vocalis. 1. Ut homo serviat Deo secundum omnia. Oseæ. ult. *Reddemus vitulos nostrorum labiorum.* 2. Ut mens per hoc excitetur ad Devotionem. 3. Vox excitatur ex vehementi affectione animi, Psal. 16. *Lætatum est cor meum, & exultavit lingua mea.*

16. Mens humana est in Oratione vocali ad divagationes prona; tamen si fuit primâ intentione devota, & subinde à divagando se revocat, non dubium est quin preces à bono Deo accipiantur. Alioqui enim vix quisquam hominum bene precaretur, sed etiam bonorum preces verterentur in peccatum. Hinc tamen sequitur concisas preces quas vocamus *Collectas* multò esse commodiores prolixis illis & continuis ante conciones Orationibus quas satis cum tædio nonnulli effundunt. Hæ in somnum proliciunt, illæ celeri suâ varietate revocant & excitant animum; quem etiam inflammant acuta & repetita in Litaniâ nostrâ Ministri & populi alterna vota.

17. Licèt autem sperandum sit à bono Deo misericorditer accipi preces minùs quàm par sit attentas tamen iis deest spiritualis illa refectio mentis quæ ex devotione nascitur, 1 *Cor.* 14. Si orem linguâ, mens mea sine fructu est.

18. Orationi autem vocali potest adhiberi triplex attentio. 1. Ad verba, ne in iis erremus. 2. Ad sensum verborum. 3. Ad Deum & ad rem quæ petitur. Hæc tertia est maximè necessaria, & potest inesse valdè idiotis. Quinimò mens aliquoties in Deum est tam intenta ut omnium aliarum rerum obliviscatur.

19. Loquebar de eâ divagatione Mentis inter precandum quæ est per infirmitatem. In Ecclesiâ autem Romanâ cùm omnes Gentes ex constituto precentur linguâ Latinâ, ferè omnes tenentur non intelligere quid dicant, quod totum aut est divagatio aut stupor. Hoc apertè contradicit Apostolo, 1 *Cor.* 14: & rationi infestissimum est quæ de se parens est & ductrix omnium actionum moralium, & fœta principiis revelatis Religiosarum etiam. Psittaci & Picæ loquuntur, at intelligere quid dicas est prærogativa hominis. Certè non mirarer quantaslibet sævitias Dominantium in Ecclesiâ Romanâ æquanimiter ferri, cùm videam eos persuasisse populo ut decedant de hoc jure naturæ humanæ. Nam si unquam, tum maximè est nobile intelligere quid dicas, cùm Deum appellas.

20. Hujus tamen tyrannicæ consuetudinis non reperio aliam defensionem præter illam Cardinalis Hosii, *Quòd* scilicet *Ignorantia sit mater devotionis.* Verùm ut consuetudo ipsa est indigna homine, sic assumptum in hoc argumento est indignissimum Religione Christianâ; quasi ea de se non esset sufficiens suis effectibus, imò opus habeat non solùm artibus, sed etiam præstigiis humanis. Imò si in Religione Christianâ hoc verum est: *Ignorantia est mater Devotionis*, tum & hoc est verum: Religio Christiana quò magis scitur, eò minùs amatur. Certè Doctrina Christiana nuda est pulcherrima & cepit Mundum; postquam fucis superstructionum cooperiretur, opus erat pleraque in arcanis servare. *Sed quid?* dices: *num rudes ad disputandum invitas?* Minimè; neque Apostoli quidem invitârunt; ii tamen linguâ notâ omnes instituerunt. Aliud est reddere homines Doctores, aliud Stipites.

21. At, inquiunt, constat quòd multis cum furiis inceperit vulgus erudiri in Doctrinâ Christianâ, testibus

bus Germaniâ, Belgio, Galliâ, & nuper cùm novæ luces accenderentur, Britanniâ etiam. Respondeo, Constare etiam quantis cùm furiis suas tenebras tutata sit olim Gallia, primùm in occidione Parisiensi, tum postea in fœdere Guisiano. Est etiam Hibernia exemplo *An. Dom.* 1941. Scilicet, *Iliacos intra muros peccatur & extra.* Non tamen qui furebant Protestantes, ideo furebant quia edocebantur quid dicerent colentes Deum, sed quia à furiosis concionatoribus semper in nova propellebantur. Non autem est necesse ut quoslibet ad concionandum admittas, si cultus Dei publicus peragitur linguâ vernaculâ. Hoc est humanitatis illud torporis.

22. Tandem scientia mihi videtur feracior Zeli quàm ignorantia. Exemplo fuit Rex & eum sequuti in nupero Bello Civili Angliæ. Ii per omnia ardua belli cruentissimi, debellatíque per omnes miserias Exilii, Egestatis, Carceris, Mortis, Religionem stabilitam tuebantur. Tamen in eâ Relîgione omnia omnibus sunt aperta; linguâ vernaculâ & legunt & audiunt, & precantur. Devotio scil. quæ nascitur ex scientiâ est firma & permanens, quæ ignorantiæ innititur, superstruitur arenæ, & debet ludibrium Principi Reformationem molienti. Sed calamum sustineo, ne me reum agant ignorantiæ quàm damno, quasi scilicet ideo solùm in religiosam hanc plebis ignorantiam invehar, quia bonos ejus fructus (quod fateor) ignorem.

23. *Sed Oratio vocalis quousque protendenda est? Resp.* Quamdiu deservit interioris desiderii fervori excitando. *Obj.* Mat. 6. *Orantes nolite multum loqui. Resp.* Aliud est sermo multus, aliud diuturnus affectus. Ipse Dominus pernoctavit in orando.

Obj.

Obj. Cur transgredimur limites Orationis Dominicæ? *Resp.* Non tradidit Deus hanc Orationem ut quâ solâ utendum sit, sed ut quæ contineat omnia quæ precari aut desiderare debeamus, ea licèt aliter proferamus aut cogitemus.

Obj. Orate continuò. Resp. *In ipsâ Fide, Spe, & Charitate continuato desiderio semper oramus.* Aug. ad Prob. Oratio ergo in causis suis est continua, in seipsâ non potest esse, quia oportet nos aliis operibus occupari.

24. *Quid dicemus de dono precandi?* Dico, Preces piorum ut & omnia eorum sancta opera procedere à Spiritu sancto operante per Fidem, Spem, & Charitatem. *Sed quid de dono precandi quæ sit gratia gratis data subministrans flumen quoddam copiosum & diuturnum cum fervore vocaliter orandi ultra ingenium aut artem?* Dico, Tale donum esse possibile, cùm Deus aperuerit ad loquelam humanam etiam os asinæ: Dico etiam totum hoc præstari posse ingenio, arte & industriâ humanâ; nam qui est extemporarius Orator (quod frequentissimum est) ad populum, potest etiam esse ad Deum. Imò doctissimus Wilkinsius nuper Episcopus Cestriæ libro olim edito, artem precandi ex tempore egregiè concinnavit; non eo ille consilio ut homines ad ejus usum excitet, sed ut populo deluso ostendat, ea naturæ viribus fieri, quæ tum temporis pro instinctibus Spiritus sancti passim & donis extraordinariis venditabantur. Certè non pauci qui ex tempore sic precari consueverunt mihi fassi sunt, se multas integras orationes antea composuisse; easque in circulo coram populo non valdè memori exhibuisse; quin & hujus supellectilis partium ordinem subinde mutâsse, nunc à confessione, aliàs à gratiarum actione, à petitione aliàs exordium sumpsisse, ita ut eorum Oratio

ratio semper novam induerit faciem. Et hæc erat eorum non nisi pia fraus, quia eò væsaniæ ventum erat, ut populus non audiret nisi sic precantes. Id utcunque se habeat, cùm certum sit preces extemporarias posse viribus naturæ præstari, non est credendum eas miraculosè fieri, nisi hoc alio Miraculo confirmetur.

25. In Orando, ratio impetrandi ex parte Dei est ejus bonitas. Dan. 9. *Propter temet ipsum mi Deus inclina aurem tuam.* Et in Litaniâ: *Per crucem tuam & Passionem*, &c. *libera nos Domine.* Hujusmodi Oratio dicitur Obsecratio, *i.e.* per sacra contestatio. Ratio impetrandi ex parte petentis est gratiarum actio; nam grati ob priora beneficia disponuntur ad ulteriora recipienda. Itaque licèt gratiarum actio non propriè dicatur precatio, tamen in precatione semper supponitur. Interdum petitio solùm insinuatur, ut Jo. 11. *Ecce quem amas infirmatur.*

26. Orationi ut communiter accipitur ferè insunt quatuor partes. 1. Ascensus rationis ad Deum. 2. Petitio. 3. Obsecratio. 4. Gratiarum actio. Exemplum sit Collecta Trinitatis. *Omnipotens & æterne Deus*, pertinet ad primam. *Qui nobis famulis tuis dedisti*, &c. pertinet ad quartam. *Obsecramus ut serves nos*, &c. pertinet ad secundam. *Qui vivis & regnas*, &c. pertinet ad tertiam.

27. His subjungam brevem rationem Orationis Dominicæ secundum Aquinatem in summâ. Oratio est interpres desiderii nostri apud Deum, ergo illa solùm orando rectè petimus, quæ rectè desiderare possumus. In Oratione autem Dominicâ, & petuntur omnia quæ rectè desideramus, & eo ordine quo desideranda sunt. Primò autem rectè desideramus finem, tum ea quæ sunt ad finem. Finis autem noster est Deus, in quem

affe-

affectus noster tendit dupliciter, ut in se, & ut fruendum à nobis. Desiderium gloriæ Dei absolutè & in se primâ Petitione continetur. *Sanctificetur Nomen tuum.* Desiderium fruendi gloriâ Dei continetur in secundâ Petitione: *Adveniat regnum tuum*, scilicet super nos. *i. e.* perveniamus ad regnum tuum. Medium ad hunc finem principale est obedire Deo, quod petitur tertio loco: *Fiat voluntas tua.* Instrumentum & quasi coadjuvans nos ad hunc finem petitur quarto loco: *Panem nostrum quotidianum da nobis hodie.* Sive hoc intelligas de pane communi (quo significatur sufficientia victus) sive de pane Sacramentali, in quo etiam intelliguntur omnia alia Sacramenta, quia ut ait Augustinus ad Probam.: *Et Eucharistia est præcipuum Sacramentum & panis est præcipuus cibus.* Per accidens ordinamur ad fruitionem Dei per remotionem impedientis. Impediunt autem primò peccatum, quod directè excludit è regno Dei. Hinc quinta petitio: *Dimitte nobis debita nostra*, &c. Secundò impedit tentatio ad peccandum, unde sexta Petitio: *Ne nos inducas in tentationem.* In quà non petimus ut non tentemur, sed ut à tentatione non vincamur, hoc enim est induci in tentationem. Tertiò impedit præsens pœnalitas, tollendo scilicet sufficientiam vitæ. Hinc precamur: *Libera nos à malo.*

28. Hammondus super sextum Matthei refert hæc [verba: *Ut in cœlo, ita in terrâ*] ad omnes tres præcedentes Petitiones, sic: Pater noster qui es in Throno Cœli, & ibi ab Angelis & Sanctis laudaris, & ibi regnas & perfectum obtines obsequium, fac ut nos etiam Filii & Servi tui sanctificemus nomen tuum, imperium tuum agnoscamus, & Mandatis tuis obsequamur sincerè & promptè, & pro nostro Modulo sicut ut in Cœlis.

29. Ad-

29. Adverte Dominum bis ſuos Diſcipulos edocuiſſe hanc Orationem, & duabus diverſis occaſionibus. 6. Mat. Tradit eam ut exemplar & formam ſecundum quam ii ſuas Orationes debeant ſtruere; itaque dicit: *Hoc modo precamini.* 11. Lucæ dicit: *Vos cùm precamini, dicite.* Quaſi diceret: Non dedi vobis hanc Orationem ſolùm ut normam cui veſtræ preces aſſimilari debent, ſed etiam volo ut eandem frequenti uſu celebretis, & in precibus ſaltem ſolennibus nunquam omittatis. Et hanc Hammondi paraphraſin praxis omni ævo Eccleſiæ commendat.

30. Licèt gloria Dei & eum glorificantium ſalus ſint inſeparabilies, tamen rectè monet Calvinus in tribus primis petitionibus utilitatem noſtram quaſi obliviſcendam eſſe, & ſoli Dei gloriæ eſſe attendendum; quippe qui ſit propter ſe & diligendus & colendus.

31. Abſurda autem eſt precatio Authoris libri cui titulus: *Religio medici.* Is in fine libri dicit: *Fiat voluntas tua O Deus licèt in meâ perditione.* Impoſſibile autem eſt ut pereat qui ſe ſubmittit voluntati Divinæ, ant ur homo ſibi malè velit, aut ut ſummâ miſeriâ ſit contentus. Iſta precatio multa conjungit incompoſſibilia, ergo fieri poteſt voce non animo.

SECT. VIII.

De Adorationibus Christianorum.

Christiani adorant Deum, i. e. *tam corpore quàm animo eum venerantur.*

1. ADoratio est per quam aliquis suum corpus ad Deum venerandum humiliat.

Obj. Jo. 9. Veri adoratores adorabunt Patrem in Spiritu & Veritate. *Resp.* Etiam adoratio corporalis fit in spiritu; nam ex devotione mentis nascitur, & eidem devotioni excitandæ deservit: ab eâ incipit, in eâ desinit. Principale ergo in adoratione est spiritualis Veneratio, humiliatio corporis est secundaria.

2. Debetur tamen hæc quoque, nec solùm quia est dèvotionis internæ fructus, & auctrix, sed etiam quia per omnia Deï dona eum colere debemus.

3. Determinatus ad adorandum locus non requiritur essentialiter, quia Deus est ubique. Ratione tamen nostti, fieri maximè debet loco sacris destinato. Nam 1. Consecratio loci excitat ad reverentiam exhibendam. 2. Cultus augetur concursu multorum colentium. Mat. 18. Ubi congregantur duo vel tres in meo nomine, ibi ero ego in medio eorum.

4. Statuit Aquinas decentur adorari versus Orientem: 1. Quia Deus nobis indicatur motu Cœli, qui est ab Oriente. 2. Hoc est meminisse Paradisi qui erat in Oriente, & votis eò redire. 3. Christus est lux Mundi & *Oriens* nominatur, Zach. 6. Ab Oriente etiam expectatur venturus. Mat. 24. *Sicut fulgor exit ab Oriente & patet usque ad Occidentem, ita erit ad-*

adventus Filii hominis. Si cui autem hæc non gravia argumenta videntur, ſciat nec concluſionem eſſe maximi momenti.

5. Adorare autem non eſt ſolùm inclinare Caput & cervices, aut genicularì, aut prorſus ad terram incurvari; ſed vel ſtare quia Deum colis eſt ipſum venerari. Nam ſeſſio eſt ad noſtrammet quietem, à quâ alicui aſſurgere eſt eum quadantenus colere. Pariter diſſerere licet de denudatione capitis, de ſaltatione, &c.

SECT. IX.

De Laudationibus Christianorum.

Christiani & corde & ore Deum laudare profitentur.

1. Laus debetur excellentiæ; omnimodæ ergo laudes Deo ſunt dandæ ob ejus excellentiam & in ſe & in operibus.

2. Ac laudandus quidem eſt Deus de omnibus ſuis operibus, quia omnia ſunt bona; potiſſimùm verò infinitam ejus bonitatem in unigenito Filio ad nos redimendos exhibendo celebramus. Præ hoc cætera Dei dona ſpernimus, & loco luti ac damni habemus. Quin ſine hoc cætera nobis peccatoribus exitialia forent. Attamen, ut dixi, ob omnia ejus opera intra proprias rationes ſumpta Deum laudamus. Imò ob illa quæ naturæ noſtræ corruptæ moleſta ſunt. *Cur?* Ex hac fide, quòd omnia cooperantur in bonum diligentibus Deum.

3. Gratiarum actio est species laudationis; nam est recognitio divinæ Potestatis in alia, & bonitatis erga nosmet.

4. Atque hæc quidem præcipuè animo præstantur, sed & ore laudandus est Deus; non ut scrutator cordium cognoscat affectum nostrum, sed ut omni modo possibili eum laudemus qui omnem possibilem laudem sine fine superat, tum etiam ut pium illum affectum excitemus & in nobismet & in aliis audientibus, *totumque terrarum orbem*, quantum in nobis est, *impleamus gloriâ Domini.*

5. Itaque etiam Cantus & Instrumenta musica adhibentur, ut omnium bonorum Authorem per omnia ejus dona laudemus; tum etiam Devotionis excitandæ causâ, Aug. in 10. Confess. *Adducor cantandi consuetudinem approbare in Ecclesiâ, ut infirmior animus in affectum pietatis assurgat.* Vetustatem consuetudinis (post exemplum Christi & Apostolorum) habe ex Plinio. Christiani *cantant alternatim laudes Christo tanquam Deo.*

SECT. X.

De Sacramentis in genere.

Convenit inter Christianos, Christum instituisse nonnulla Sacramenta in perpetuum usum Ecclesiæ: per Sacramentum intelligunt signum corporeum gratiæ spiritualis.

1. SAcramenti nomine apud Romanos significabant juramentum de servandâ fide aut officio exequendo. In Ecclesiâ Sacramentum est signum

ex-

externum gratiæ invisibilis, institutum à Christo in usum Ecclesiæ perpetuum. Ac in nostrate quidem Ecclesiâ, ut aliquid propriè dicatur Sacramentum, requiritur ulteriùs, quòd gratia significata sit necessaria ad salutem omnibus Christianis.

2. Verùm de nomine Sacramenti nihil habetur in Scripturâ sacrâ, sed μυστήριον plerúmque reddiderunt latinè *Sacramentum*; puto quia gratia spiritualis latet sub signis corporeis. Nam μυστήριον, apud Græcos Gentiles significabat partem Cultus Deorum à communibus oculis velatam. Unde & μύστης est initiataus seu admissus ad secreta Religionum cognoscenda aut tractanda.

3. Sed nec de naturâ Sacramenti in genere quicquam docuit Christus in Evangelio. Instituit autem Baptismum, *&c.* quibus ob similitudinem repræsentandi spiritualia per Corporea, commune nomen Sacramenti est postea inditum. Colligimus scilicet ea in quibus Baptismus, Eucharistia & (si quæ sunt) alia Sacramenta conveniunt, & ex iis concinnamus dissertationem de Sacramentis in genere. Pleraque ergo quæ hîc adhibemus, rursus in singula Sacramenta tractando sunt examinanda. Itaque prælibatio hæc generalis aut non est necessaria, aut certè perbrevis esse debet.

Obj. *Generalia sunt generaliter & semel docenda.* Sic *e. g.* disserimus de vitâ & sensu in Tractatu de Animali in genere, ea non repetentes in Tractatibus propriis de homine & brutis; cur non item disserendum sit de Sacramento in genere sine hoc quòd eadem repetamus in Tractatibus de Baptismo, *&c?* *Resp.* Non est par ratio. Nam omnes species animalis habet vitam & sensum ex hoc quòd sint animalia; at Baptismus non significat aut confert gratiam, non est

aut

aut facit quicquam ex hoc quòd ſit Sacramentum, ſed omnia ex hoc quòd ſit Baptiſmus. Et ſic de Euchariſtiâ. Nam nihil novimus de Baptiſmo aut Euchariſtiâ niſi ex ore Chriſti, qui nihil docuit de Sacramento in genere. Itaque Sacramentum non eſt genus ad Baptiſmum & Euchariſtiam ſed totum collectivum. Unde ſequitur, ſi qua communia omnibus Sacramentis explicanda ſunt, ea potiùs poſt quam ante ſingulorum explicationem notanda eſſe; nam & tum determinatum erit de numero eorum quæ appellari debent Sacramenta, & fruſtranea repetitio facilè vitabitur.

4. Sequitur etiam ex dictis diſputationem de numero Sacramentorum eſſe meram λογομαχίαν. In Eccleſiâ Romanâ ſunt ſeptem Sacramenta: Baptiſmus, Euchariſtia, Confirmatio, Pœnitentia, Ordo, Matrimonium, & Extrema Unctio. Nos duo Prima ſuſcipimus, quinque reliquis excluſis. Certè ſi omne ſignum rei ſacræ eſt Sacramentum, potes Sacramentorum multa millia adhibere. De Scripturâ ſacrâ dictum eſt: *Quot verba, tot Sacramenta.* Omnia enim verba Scripturæ ſacræ ſignificant Dei aut voluntatem aut potentiam, *&c.* Imò omnis Creatura eſt ſignum Potentiæ & Voluntatis Dei. Verùm pauciora & adhuc pauciora comperies Sacramenta, prout hoc nomen ſtrictiùs & ſtrictiùs ſumis. Interea nihil hoc ad Fidem Chriſtianam. Nam Chriſtus nihil docuit de Sacramento in genere, nec ullam ejus partitionem exhibuit. Chriſti ergo nihil refert, quid nuncupes *Sacramentum*, aut quot ſtatuas eſſe Sacramenta. Sed ad ſingula.

SECT. XI.

De Baptismo.

Christus mandavit quod omnes in ipsum credentes baptizentur in Nomine Patris, & Filii, & Spiritus sancti.

1. NAM cùm mandaret Apostolis omnes Discipulos baptizare, omnibus Discipulis mandavit quòd baptizentur.

2. Baptismi institutio videtur incepisse in Baptismo Christi, sed usus ejus non injungebatur nisi post mortem Christi. Nam per hanc determinabantur ea quibus erat Baptismus successurus; ut Circumcisio, &c. Nec quidem ante Mortem Christi promulgabatur Evangelium.

3. Baptismus Christianus est dilutio corporis exterior, facta sub hâc formâ verborum: Ego te baptizo in Nomine Patris, &c. ut in Ecclesiâ Latina; vel sub hâc: Baptizetur servus Christi in Nomine Patris, &c. ut in Ecclesiâ Græcâ. Et hæc posterior forma suscepta erat ad vitandum imitationem eorum qui dicebant: Ego sum Pauli, & ego Cephæ. Si autem quis ter immergat hominem in Nomine Patris, &c. sine hoc quòd dicat, Ego te baptizo, vel aliquid simile, videtur non esse Baptismus; nam ablutio corporis est communis multis usibus & determinatur ad usum Sacramentalem per verba recognoscentia mandatum Christi. Christus dixit: Baptizate in Nomine Patris, &c. Ergo Minister debet dicere: Ego te baptizo in Nomine Patris, &c.

4. No-

4. Nominantur in Scholâ tria Baptiſmata: Baptiſmus aquæ, Baptîſmus ſanguinis (quo quis patiendo conformatur Chriſto) & Baptiſmus flaminis ſeu Spiritus ſancti, cùm cor movetur ad credendum & diligendum Deum & ad pœnitendum, ſine hoc quòd detur copia Baptiſmi in aquâ; cujus inſigne exemplum eſt fur in cruce. Hæc duo poſteriora dicuntur Baptiſmata, quia habent effectum aquæ Baptiſmalis, nimirum ablutionem animæ; non autem dicuntur Sacramenta, quia non ſunt ſigna iſtius ablutionis.

5. Aqua eſt peculiare Elementum Baptiſmi, ex conſtitutione Chriſti. Convenientiæ ejus memorantur: 1. Quia ex humore omnia generantur, & Baptiſmus eſt regeneratio ſeu inceptio vitæ ſpiritualis. 2. Aquæ eſt lavare, itaque bene ſignificat ablutionem peccatorum. 3. Aqua ratione communitatis & abundantiæ convenit neceſſitati hujus Sacramenti. 4. In aquâ ſicut in quodam ſepulchro ſubmergentibus nobis capita, vetus homo ſepelitur & ſubmerſus deorſum occultatur, & deinde novus aſcendit. Chryſoſt.

6. Gratia ſignificata in Baptiſmo eſt conformitas interna cum Chriſto moriente, ſepulto & reſurgente. Rom. 6. 3. *Quotquot baptizati eramus, in ejus mortem baptizabamur.* Col. 2. 12: *Cum eo conſepulti in Baptiſmo, in quo etiam cum eo conſurrexiſtis.* Particulatim autem per immerſionem, quâ imitamur mortem & ſepulturam Chriſti, ſignificatur mors & ſepultura veteris hominis; unde dicimur mori peccato & mundo. Per emerſionem, quâ imitamur reſurrectionem Chriſti, ſignificatur regeneratio ad juſtitiam. Hoc aliàs dicitur exuere veterem hominem & induere Chriſtum, *i. e.* abrenunciare corruptioni Adamicæ, & tenebris Moſaicis, ac ſolius Chriſti mandata ſuſcipere exequenda.

De cauſis efficientibus Baptiſmi.

7. Cauſa principalis ſeu Author Baptiſmi eſt Dominus quà inſtituens cæremoniam. Mat. 28. 19. *Ite & diſcipulate omnes gentes, baptizantes eos,* &c. Et quà promittens effectum nimirum vitam æternam. Mar. 16. 16. *Qui credit & baptizatur, ſervabitur*; tum etiam quà ſine dubio præſtans quod promiſit.

8. Ecce fons neceſſitatis Baptiſmi. Non eſt ſpes ſalutis niſi in promiſſis Chriſti; Chriſtus non promittit ſalutem niſi baptizatis. Vel ſic: Chriſtus inſtituit Baptiſmum, ergo qui Baptiſmum recuſat, contemnit Chriſtum. Nihilominus ſi appetitur Baptiſmus, & haberi non poteſt, non eſt dubium quin votum accipiatur pro facto; cujus exemplum eſt fur in cruce. In eo enim caſu facit peccator quod in ſe eſt, cùm non deſit niſi corporalis opportunitas quæ non eſt in poteſtate deſiderantis. Atque hinc ſequitur,

 de

de Trementibus & siqui sunt alii qui nec re nec voto baptizantur, sed constitutionem Christi prorsus contemnunt, (nisi ex impenetrabili abysso divinæ misericordiæ) desperandum esse.

9. Ministri Baptismi erant primitus Apostoli & ii postea quibus Apostoli illud Ministerium concrediderunt, & sic successivè ad nostra tempora. In nostrâte Ecclesiâ non video id concedi nisi presbytero & in ejus absentiâ Diacono. Ecclesia Romana (in extremâ necessitate) cuivis personæ etiam fœminæ, etiam non baptizato, concedit baptizare. Si tamen votum sufficit, non videtur esse facti tanta necessitas ut ritus violentur. Utcunque si tales personæ habent jus baptizandi, id habent ex concessione Ecclesiæ, certè non ex necessitate Sacramenti. Nam hoc Sacramentum esse necessarium ad hujus salutem, nihil est nisi hunc non posse servari sine susceptione hujus Sacramenti, quod est prorsus negativum, nec cuiquam quicquam confert juris. Postremò memoriâ tenendum est, Baptismum ideo solùm esse necessarium quia est mandatum, itaque nec magis est necessarium quàm Eucharistiam, Orationem, & cætera mandata.

De Effectis Baptismi.

10. Inprimis Baptismus tollit omne peccatum tam actuale quàm originale; nam omne peccatum pertinet ad vetustum hominem qui in Baptismo moritur & sepelitur.

Obj. Concupiscentia & cæteræ pœnalitates hujus vitæ ori untur è peccatis & tamen manent post Baptismum. *Resp.* 1, Manent, ut incorporati Christo per Baptismum, ei conformes simus in humilitate suâ,

sicut

ſicut aliquando erimus in gloriâ. 2, Manent, propter ſpirituale exercitium *viz.* ut homo pugnans victoriæ coronam accipiat. 3, Manent, ne homines ad Baptiſmum veniant propter impaſſibilitatem hujus vitæ, & non propter gloriam vitæ æternæ.

11. Secundus effectus Baptiſmi ſtatuitur collatio gratiæ & virtutum. De quo (quia eſt communis Baptiſmo & Euchariſtiæ) agetur Sectione ſequenti.

12. Tertius effectus Baptiſmi eſt charachter, id eſt, ſignaculum in animâ quòd quis conſcribatur in famulitium Chriſti, & qui dat jus ad omnia munia Chriſtianorum. Atque hic charachter ponitur indelebilis, Aug. *Sicut charachter militaris non repetitur, ſed agnitus approbatur in eo cui venia datur ab Imperatore poſt culpam.*

De antecedentibus Baptiſmum.

13. Alia anteceſſerunt inſtitutionem Baptiſmi, alia ipſum Baptiſmum antecedunt. Baptiſmum antecedit profeſſio fidei & pœnitentiæ. Nam baptizari eſt actus obedientiæ Chriſtianæ, ergo fide enaſcitur. Et eſt Baptiſmus renovatio vitæ, ergo ſupponit pœnitentiam veteris.

14. Atque hinc ſequitur principalem effectum Baptiſmi qui eſt juſtificatio ſeu remiſſio peccatorum & collatio gratiæ, non haberi in hypocriſi aut hæreſi, ubi quippe nec eſt fides nec pœnitentia. Ibi tamen imprimi charachterem; nam Sacramentum non perficitur per juſtitiam recipientis ſed per juſtitiam Dei. Sic Aquinas. Ego non intelligo cur Sacramentum non perficiatur ſine charachtere, cùm perficiatur ſine pœnitentiâ aut fide; nec cur Deus juſtitiâ ſuâ oblige-

tur ullum effectum Baptismi ei concedere, qui se per hypocrisin aut hæresin Baptismi prorsus incapacem reddidit. Jure tamen dici puto, charachterem Christianismi imprimi in Baptismo etiam hypocritæ & hæretici. Nam charachter non est aliquid physicum, sed tantum nota seu tessera ut baptizatus recipiatur ut membrum Ecclesiæ. Baptismum ergo imprimere charachterem in hæresi aut hypocrisi idem est ac baptizatum etiam hæreticum etiam hypocritam Christianis connumerandum esse. Ac hypocrisis quidem non impedit, quia charachter est nota versus Ecclesiam, Ecclesia autem non intelligit corda. Hæreticos etiam baptizatos recipit Ecclesia ut Christianos, quia suscipiendo Baptismum se Christo subjiciunt. quòd autem huic fundamento fænum, lignum & stipulam superstruant, id eos malos reddit Christianos, sed Christianos relinquit.

15. Antecedit etiam Baptismum Catechismus: Nam *quomodo credent in eum de quo non audierunt?* Rom. 10. 14.

16. In Ecclesiâ Romanâ more pervetusto antecedit Baptismum exorcismus Diaboli, ne impediat opus Baptismi. Nam, aiunt, Diabolus est hostis humani generis, & aliquam potestatem habet in hominem ratione peccati actualis aut etiam originalis. Ejus expulsionem significat exsufflatio. Benedictio cum manus impositione præcludit ei reditum. Sal in os missus ac linitio narium ac aurium sputo significat receptionem Doctrinæ quantum ad aures, & approbationem quantum ad nares, & confessionem quantum ad os. Olei verò inunctio significat aptitudinem pugnandi contra Dæmones.

17. Statuitur exorcismus non solùm significare sed etiam operari; unde etiam utuntur verbis imperati-

vis.

vis. Aug. de Symbolo. *Parvuli exsufflantur & exorcisantur ut pellatur ab iis Diaboli potestas inimica.*

Obj. Si exorcismus significat & operatur, tum est Sacramentum. Respondent: Non operatur veniam peccatorum, sed tantùm tollit impedimenta veniæ consequendæ. Itaque etiam ejusmodi cæremoniæ non dicuntur Sacramenta sed Sacramentalia.

18. Assumebatur exorcismus ad imitationem Christi qui Apostolis insufflavit & dixit: *Accipite spiritum sanctum*, Jo. 20. 22. Sicut enim Dominus per insufflationem significavit ingressum Spiritus sancti in Apostolos, ita Ecclesia per exsufflationem significat spiritum immundum egredientem ex infantibus. Et sicut Christus (*Mar.* 1. 25.) comminatus est ei, dicens: Obmutesce & exi de homine; sic exsufflans dicit: Exi ab eo immunde spiritus. Et adjurans dicit: Exorciso te immunde spiritus in nomine Patris & Filii & Spiritus sancti, ut exeas & recedas ab hoc famulo Dei. Si objicis Dæmonem expelli per Baptismum ipsum. Respondent Expelli eum per Baptismum ab animâ; à corpore autem ne noceat, & à sensibus ne ludificet, per exorcismum.

19. Totum hoc exercitium dimisit nostras Ecclesia, his puto argumentis. Nullum ejus habetur mandatum à Domino, nulla promissio; qui ergo aliquod bonum spirituale inde sperat, is sperat salutem suam aliunde quàm à Christo, quod est à Christo deficere. Iterum, Minister adjurat Dæmonem exire. Quâ authoritate? Si nullâ, tum fatuus est Dæmon qui obsequitur. At si obsequium est fatuum, tum mandatum est ludicrum. Tum nauseam creàrunt insignificantes illæ significationes olei, sputi, &c. Nos quidem adhibemus signum crucis post Baptismum, non in defensionem baptizati à Dæmone, sed prorsus in monitionem,

nem, quòd se per Baptismum devinxerit Christo crucifixo.

20. Institutionem baptismi antecessit circumcisio, *i. e.* ut per Baptismum admittuntur in Ecclesiam Christianam, sic admittebantur in Ecclesiam Judaicam per circumcisionem.

De Subjectis Baptismi.

21. Hîc præcipuè disputatur an parvuli sint baptizandi necne. Ecclesia generaliter affirmat: nam 1. Infantes Christianorum tam sunt capacès Baptismi, quàm erant circumcisionis infántes Judæorum; Baptismus enim venit in locum circumcisionis & differunt solâ cœremoniâ externâ, ut dicetur Sectione sequente. 2. Cúm legamus in actis & Epistolis integras familias baptizatas fuisse, non est quòd somniemus posthabitos fuisse liberos. 3. Pueri sunt baptizandi ut abluatur peccatum originale; & ut in Religione Christianâ enutriti ei firmiùs adhæreant.

Obj, Baptismus non conceditur nisi credentibus & pænitentibus. *Resp:* Parvuli habent fidem & pænitentiam Ecclesiæ licèt non suam propriam. Hoc enim per offerentes profitentur *i. e.* per ecclesiam; nam ii duo vel tres offerunt infantem baptizandum non propriis nominibus sed nomine totius ecclesiæ. *Ab omnibus namque offerri rectè intelliguntur, quibus placet quòd offeruntur.* Aug. Nec est incongruum eos sine proprio nixu sanari a secundo Adamo, qui non peccârunt nisi in primo Adamo. *i. e.* sine concursu suo personali. Parvuli in utero matris pascuntur non suo sed materno alimento; sic etiam sine nixu suo matris Ecclesiæ lacte spirituali vescuntur.

22,

22: Interea in Scholâ conceditur parvulis fides habitualis licèt non actualis; etiam actualis dicitur concedi â Luthero. At Augustinus dicit, eos qui putant infantes credere in Christum quando baptizantur, *injuriam facere humanis sensibus. videmus enim infantes partim vocis ejulatu partim motu corporis reluctari quando aquâ baptismi asperguntur, quod non facerent si crederent se per illam aquam regenerari & filios Dei fieri.*

23. Non fit quidem mentio ullius infantis baptizati in Scripturâ sacrâ, sed nec fit mentio ullius fæminæ admissæ ad Eucharistiam. Fit autem mentio integrarum familiarum baptizatarum; cur excludis infantes? an non sunt de familiâ.

24. Non fidelium tantùm liberi sunt baptizandi in infantiâ? Calvinus admittit infantes fidelium ob promissionem Gen. 7. 7. *Ero Deus tuus & seminis tui.* Verùm si hoc sumitur in sensu literali, promittitur solùm terra Canaan; si sumitur in sensu mystico, significatur quidem cælum sed promittitur solis filiis spiritualibus Abrahæ. Rom. 9. 6. *Non omnes qui ex Israel sunt ii sunt Israelitæ.* Sic Calvino objicit Becanus. Verùm ex textu apparet filios Abrahæ vi carnalis procreationis habuisse sanctitatem quandam fæderalem. *i. e.* capacitatem circumcisionis &c. Itaque etiam paritate rationis parvuli Christianorum sunt capaces baptismi, & eatenus dicuntur *sancti.* 1. Cor. 7. 14. Sed num ii soli sunt capaces baptismi? Resp. videtur etiam parvulos infidelium qui in manus Christianorum rite deveniunt, debere baptizari. Nam iis inest originale peccatum; en necessitas baptismi. Nec iis imputatur parentum infidelitas. En capacitas baptismi incepta: Porro, licet non sint geniturâ filii matris Ecclesiæ, tamen deve-

nire

nire in potestatem Ecclesiæ est quasi quædam adoptio. En capacitas baptismi consummata.

25. Movetur etiam lis de parvulis illegitimo toro natis. Quidam eos in Gehennam damnant. Sed quid dicent de Jephte, qui nascebatur è fœminâ meretice & tamen salvabatur per fidem. Heb. 11. 32. Sed num tales admittendi sunt ad Baptismum in infantiâ? Ita. Nam nullum iis inest peccatum præter originale, quod inest etiam legitimis.

De adjunctis Baptismi.

26 Præcipuè hîc differitur de tempore. Ac adulti quidem antiquitus fere reservabantur ad stata tempora, nec peragebatur solenniter baptismus nisi in festis paschæ & pentecostes. Idque 1, ut perfectiùs instruerentur. 2, ut indicia exhibeant sinceritatis, ne decipiatur ecclesia. 3, in solennitatem ob honorem sacramenti. Hæc tamen dilatio omittebatur imminente periculo mortis, exilii militiæ &c. In actis quidem Apostolorum dicuntur baptizari statim post confessionem fidei; nam tum & fidem plerumque Comitabantur signa prodigiosa, & baptismus sæpe ornabatur donis extraordinariis; nec vacabat quidem ecclesiæ sub onere persecutionum solennitati officiorum attendere.

27: Baptismus verò infantum non est diu differendus ob periculum mortis, sed saltem in statis conventionibus parochialibus expediri debet. Quòd si Baptismus ob leviculas causas differatur ac mors infantis interveniat, non erit (spero) damno infanti, quippe qui ut credit fide ecclesiæ sic etiam voto ecclesiæ vovet baptismum; at certè parentibus aut iis quorum erat baptismum adhibuisse, pænale erit.

S E C-

SECT. XII.

De Eucharistiâ.

Christiani ex institutione Christi frequenter celebrant Eucharistiam seu Sacramentum cœnæ Domini, comedentes panem & bibentes vinum, ceu corpus & sanguinem Christi.

1. Dicitur Eucharistia. *i. e.* gratiarum actio lætifica ob mortem Christi inibi repræsentatam. Dicitur etiam communio in quantum designat Christianorum unitatem. Dicitur etiam sacrificium, scilicet commemoratio Passionis Christi quæ est unicum nobis expiatorium sacrificium; tum etiam quia nos in hoc Sacramento laudes & gratias Deo ob Mortem Christi offerimus.

2. Ut Baptismus est spiritualis generatio, sic Eucharistia est spirituale nutrimentum. Elementa seu Materia externa Eucharistiæ sunt panis & vinum, quibus quippe se communiter reficiunt homines.

Obj. Alicubi terrarum non est vinum, alicubi non est triticum. Respondet Aquinas, Utrumque posse facilè deferri quantum sufficiat ad hoc Sacramentum. *Sed quid si alicubi alterum non potest adhiberi?* Tum communicandum est voto, nec est unum sine altero consecrandum; nec enim esset Sacramentum perfectum utpote non repræsentans corpus & sanguinem Christi separatim ut in primâ institutione. Cùm tamen in omni regione aut vinum & triticum habeantur aut aliqua his analoga, cùm triticum & vinum comparari non possint, quære an ex iis quæ istis sunt analoga, hoc Sacramentum ritè conficiatur.

3. Probabile est Christum consecrâsse vinum aquâ permixtum, nam ita videntur bibisse in eâ regione. Prov. 9. 5. *Bibite vinum quod ego miscui.* Sed probabilius est eum in hunc usum sumpsisse vinum merum; non solùm quia in institutione non fit mentio nisi solùm vini, sed magis quia in hoc Sacramento repræsentatur sanguis Christi ut effusus. *i. e.* ut purus ab aquâ simul effluente quæ quidem repræsentatur in Baptismo.

Obj. Passio Christi vividiùs repræsentatur per agnum Paschalem quàm per panem & vinum. *Resp.* At istiusmodi carnes minùs competunt communi usui, minùs etiam significant Ecclesiasticam unitatem, per panem è multis granulis compositum.

4. Gratia significata in Eucharistiâ (quæ est quasi Materia interna hujus Sacramenti) est corpus Christi quod repræsentatur per panem, & sanguis Christi qui repræsentatur per vinum. Analogia est: animas sic pasci Christo sicut panis & vinum sustentant corpus. Itaque à pane corporeo cogitatio statim meare debet ad panem spiritualem, ut in omni Sacramento à signo exteriori ad gratiam invisibilem. Sumptioni corporeæ per manum scilicet & per os respondet in animâ fides in Christum crucifixum; ulteriori Elementorum concoctioni respondet unio cum Christo per spem & charitatem. Secundo loco gratia repræsentata in Eucharistiâ est unio omnium fidelium. 1 Cor. 10. 17. *Sumus omnes unus panis & unum corpus, quia omnes participamus de uno pane.* Alimentum convertitur in corpus, ergo quibus unum est alimentum iis unum est corpus.

5. Forma seu effectio hujus Sacramenti sunt hæc verba pronunciata: *Hoc est corpus meum.* Et *hic est sanguis meus.* Ambrof. de Sacram. *Consecratio fit verbis*

bis & sermonibus Domini Jesu; per reliqua omnia quæ dicuntur laus Deo defertur, oratione petitur pro populo, pro regibus, pro cæteris. Ubi autem venitur ut conficiatur venerabile Sacramentum, jam non suis sermonibus sacerdos utitur sed sermonibus Christi. Quia hoc Sacramentum est ob usum fidelium, itaque ejus consecratio non habet ultimam perfectionem ante *accipite, manducate & bibite.*

6. Observa autem omne recipientis exercitium corporale circa hoc Sacramentum ultra *accipere, manducare & bibere* esse inventionis humanæ non constitutionis Dominicæ. Accipere, manducare & bibere jubemur, non circumferre, non adorare.

7. Christus instituens est author hujus Sacramenti, dicens: *facite hoc in recordationem mei.* Solus Sacerdos seu Presbyter est Minister conficiens hoc Sacramentum; nam ei soli conceditur hoc facere. Qui enim consecrat Elementa, in personâ Christi ea consecrat; qui autem facit aliquid in personâ alterius, oportet ut authoritatem id faciendi ab eo habeat.

Obj. Chrysostomus dicit: *Omnis sanctus est sacerdos. Resp.* Spiritualis sed non Sacramentalis. Sicut etiam offert spiritualia sacrificia, nimirum cor tribulatum, preces, laudes, *&c.*

8. Sacerdos quoties consecrat hoc Sacramentum, debet ipse sumere; nam devotione sumptionis debet ostendere affectum interiorem erga hoc Sacramentum, quem præ se fert consecrando. Si amat, cur non sumit? si non amat, cur consecrat?

9. Finis hujus Sacramenti est ex ore Domini perpetua nostra ejus Passionis recordatio. Hoc quippe Sacramentum *repræsentat quod olim factum est, & sic nos facit moveri* (inquit Aug.) *tanquam videamus in cruce pendentem Dominum.*

 10. Quod

10. Quod ad effecta Euchariſtiæ, memorantur 1, conferre gratiam; de quo pòſt. 2, Roborare animam in ſpiritualibus. 3, Dæmones abigere, cùm ſit repræſentatio Paſſionis Domini per quam Dæmones ſunt victi. Chryſ. ſuper Joannem: Ut leones flammam ſpirantes, ſic ab illâ menſâ diſcedimus terribiles effecti Diabolo.

11. Quod ad recipientes hoc Sacramentum. In primis ſine dubio recepit Dominus; nam quæ ab aliis obſervari inſtituit, ipſe primitùs obſervavit, ut liquet in Baptiſmo & lotione pedum. Et cùm dicitur, Chriſtus *accepit panem & calicem*, non eſt inte ligendum quòd ſolùm manibus accepit ſed etiam ore ut alii. Mat. 26. 29. *Non bibam de hinc de hoc fructu vitis*, &c.

12. Sine dubio Judas etiam ſumpſit hoc Sacramentum; nam alioquin exaſperatus occaſionem peccandi ſumpſiſſet; & Chriſtus notando occultum peccatorem dediſſet exemplum prælatis Eccleſiæ ſimilia faciendi.

13. Quivis baptizatus eſt capax hujus Sacramenti; nam per Baptiſmum incipimus vitam ſpiritualem, omne autem vivens exigit nutrimentum. Hinc olim aliquandiu uſui erat Euchariſtiam dare infantibus. Sed deſiit conſuetudo, &, ut videtur, non malè deſiit; cùm Apoſtolus præcipiat unicuique hoc Sacramentum ſumpturo, quòd ſe ipſum examinet. Interea, infantes ſumunt hoc Sacramento voto licèt non actu; voto, inquam, non ſuo ſed Eccleſiæ.

14. Euchariſtiæ inſtitutionem anteceſſit ſub lege immolatio agni paſchalis. Ejus ſumptionem neceſſariò antecedit, Baptiſmus; ut prius eſt vivere quàm ali. 2, Pœnitentia de peccatis poſt Baptiſmum, per quæ ſcilicet nosmet poſt dilutionem fœdavimus. 3, Charitas

ritas erga proximum, cùm in hoc Sacramento repræſentetur (ſecundo quidem loco) unitas omnium Chriſtianorum inter ſe. 4, Severa de his omnibus ſuiipſius examinatio; nam hæc ſumptio ſupremum habet locum in cultu Chriſtiano; cùm huic Sacramento Chriſtus corporis ſui & ſanguinis ſui titulum conceſſerit; ad hanc ergo menſam niſi cum omnimodâ curâ & reverentiâ accedere, eſt corpus Domini deſpicere.

15. De tempore tum inſtitutionis tum conſecrationis Euchariſtiæ paucis diſpiciam. Inſtituebatur autem in ultimâ cœnâ Domini. 1, diſceſſurus ab iis in propriâ ſpecie, ſe iis reliquit in ſpecie Sacramentali. 2, Imminebat Paſſio, quam ſignificaverat futuram agnus paſchalis, quo Sacramento, hâc ultimâ celebratione finito, convenienter ſtatim inſtituebatur novum Sacramentum paſſionis ſignificativum. 3, Quæ ultimò dicuntur ab amicis recedentibus memoriæ & curæ magis commendantur; itaque ut majori cum veneratione hoc Sacramentum tractaretur, Dominus illud jam jam moriturus inſtituit.

16. Quantum ad tempus noſtræ ſumptionis cape ſenſum antiquitatis ex uno dicto Auguſtini: Serm. 18. de verbis Domini: *Si eſt panis quotidianus cur poſt annum ſumis, qui mos jam eſſe cœpit in Græcia? ſume quotidie ut quotidie proſit.* Et ſubjungit: *Sic vive ut quotidie merearis ſumere.* Videtur tamen magis honorificum eſſe huic Sacramento non quotidie ſed ſtatis temporibus publicè celebrari. A pleriſq; novarum religionum ſectis rarò aut nunquam adhibetur. Ii toti ſunt in concionibus, in Euchariſtiâ fere nulli. At Euchariſtiam tàm inſtituit Chriſtus quàm prædicationem; non ergo Chriſti cauſâ Euchariſtiæ contemptores in ſiſtunt prædicationi. *Cujâ vero?* Suâ. Poſſunt quippe in

ge-

genium et eruditionem prædicando oſtentare; poſſunt iracundiam ſuam & livorem in proximum egerere; poſſunt plebeculæ adblandiendo lucellum è loculis extrahere; poſſunt populum ad ſeditionem & rebellionem de Magiſtratibus mala dicendo prolicere. Sacramenta ad nihil horum valent, ſolùm animas paſcunt, itaque à lupis iſtis nihili habentur. Dixi de Euchariſtiâ ea in quibus vix quiſquam litem moverit; pergo ad ea de quibus diſputatur non ſolùm argumentis ſed etiam ferro & igne. *Tranſubſtantiationem* dico, &c.

17. In Eccleſiâ Romanâ ſtatuitur, in hoc Sacramento ſubſtantiam panis & vini converti in ſubſtantiam corporis & ſanguinis Chriſti. Accidentia panis & vini (quas ſpecies vocant) manere; nam horribile eſſet carnem & ſanguinem hominis in propriâ ſpecie edere & bibere; Chriſtum ergo proponi manducandum & bibendum ſub ſpeciebus panis & vini. *i. e.* alimenti conſueti. Hæcque accidentia ſuſtentari à Deo ſine ſubjecto; creaturas quippe magis dependere à causâ primâ quàm à ſecundâ. Chriſtum etiam eſſe totum in qualibet hoſtiâ & totum in qualibet hoſtiæ diviſæ parte, atque adeo mille ſimul in locis. Ex hoſtiâ etiam putrefactâ generari vermes, ex combuſtâ cineres, conſecratione ſcilicet dante quantitati poteſtatem Materiæ. *i. e.* vim recipiendi ac ſuſtentandi formas ſupervenientes. E ſpeciebus etiam Sacramentalibus nutriri hominem, non tamen hominem illum dehinc ex accidentibus conſtaturum eſſe, ſed ex iis in quæ illa accidentia convertentur. Hujuſmodi millia apud Thomam in ſummâ ſubtiliter diſcuſſa comperias. Si autem ſtupes multitudinem Miraculorum, reſpondetur: *Omnipotentiam Dei ſufficere omnibus.* Si inſtas non hîc quærendum eſſe quid poſſit Deus ſed

quid velit, refpondetur voluntatem ejus liquere ex verbis Mat. 26. 26. *Hoc eſt corpus meum*, &c.

18. Aliis non videtur hinc probari mutationem ſubſtantialem, ſed ſolùm panem eſſe ſignum ſeu repræſentativum corporis Chriſti. Nam in aliis Myſteriis ſignum ponitur pro re ſignificata, quid in hoc? Sic Deus dicitur apparuiſſe Moſi in arbore. *i. e.* flamma divinitus miſſa. Sic rupes illa unde effluxit aqua dicitur Chriſtus. *i. e.* repræſentans Chriſtum qui eſt fons aquæ vivæ. Sic ſacrificia legis dicuntur expiationes. *i. e.* repræſentabant expiationem factam per Chriſtum. Summatim, ſi omnis Scriptura eſt propriè ſumenda, vicerunt anthropomorphitæ, nam multoties memorantur Dei oculi, nares, manus, *&c.* At ſi unus Textus debet exponi tropicè, poteſt & alius, & debet ſiquidem materia exigat. Dixit Filius Dei: hoc eſt corpus meum; ſed & dixit æquè infallibilis ſpiritus Dei de omnibus Chriſtianis: Nos ſumus unus panis: Panis per priora non magis convertitur in corpus Chriſti, quàm nos per poſteriora convertimur in panem.

19. Et ſi ullibi eſt, certè eſt in hâc causâ neceſſitas confugiendi ad tropum. Nec enim fere aliunde major vis infertur naturæ rerum. Unum Chriſti corpus eſt ſimul in mille locis. Accidentia panis & vini per ſe ſubſiſtunt aut certè ſine ſubjecto. Quantitas induitur vim Materiæ. *i.e.* ſuſcipit formas, nutrit edentem *i. e.* convertitur in ſubſtantiam recipientis. Tædet monſtra enumerare. Interea, ſenſus prorſus eluduntur, iis miſeris panis eſt adhuc panis. *At*, aiunt, *reluctentur ſenſus ac ratio*, *tamen fide tenendum eſt.* Crede ergo inquam; at eo modo quo credis purgatorium, *&c.* *i.e.* crede ob dicta concilii Lateranenſis, non ob dicta Domini.

20. Porrò

20. Porrò, ratio Sacramenti prorſus deperditur per Tranſubſtantiationem. Euchariſtia eſt Sacramentum. *i. e.* ſignum corporis & ſanguinis Chriſti; at ſi ſubſtantia panis convertitur in ſubſtantiam corporis Chriſti, eſt quidem ibi corpus Chriſti, ſed nullum ejus ſignum. *i. e.* nullum ibi eſt Sacramentum.

21. Deinde cui bono fit hæc converſio? quem in finem? Nemo edicit nec (credo) poteſt edicere. Nihil expectant illi ex hoc Sacramento quod non & nos ſine ullâ ſubſtantiæ mutatione expectamus. Et putandum eſt Chriſtum tot incredibilia fidei noſtræ proponere ſine ullo commodo?

22. Sunt multa alia quæ ſuadeant Chriſtum non ſic intellectum fuiſſe ab Apoſtolis & Eccleſiâ antiquâ. Quæſivere Apoſtoli: *quid hoc eſt*? Eo ad patrem. De parabolâ ſerentis quæſivere *quid hoc eſt?* Si putaſſent hæc intelligi literaliter debere, quæſiviſſent, *Quomodo eſt corpus tuum ſub pane*? An non videmus te diſcumbentem ad Menſam. Sed edocti erant (Jo: 6.) quòd Chriſtus eſſet panis ſpiritualiter, atque adeo quòd hic panis ſit Chriſtus ſpiritualiter; itaque nihil moverunt.

23. Tum, in primordiis Eccleſiæ eſt altum ſilentium de hâc converſione. Non explicatur ab Apoſtolis aut aliis Doctoribus (quod ad nos quidem pervenit), non objicitur ab infidelibus, Porphyrius non eſt in eam invectus, Lucianus non deriſit. Si Tranſubſtantiatio fuiſſet antiquitus de fide Chriſtianâ, num Berengarius fuiſſet primus in hac parte hæreticus? Si corporalis præſentia Chriſti in Euchariſtia fuiſſet de fide tempore Caroli Magni, nam is ſciſcitatus fuiſſet de hac re opinionem Bertrami presbyteri? Aut ſi mos fuiſſet tum temporis adorandi hoſtiam num Bertramus

tramus respondisset Imperatori, quòd Hostia non est idem corpus Christi quod nascebatur è Virgine? *Quid ni?* Quia solùm illud corpus quod nascebatur è Virgine unitur Verbo; & illud solùm corpus quod unitur Verbo, est adorabile.

24. Imò multa reperias quæ significant patres etiam medios nihil somniasse de Transubstantiatione. paucula adnotabo. Aug. Ep. 25. ad Bonifacium. *Si Sacramenta non haberent similitudinem cum rebus quarum sunt Sacramenta, non essent Sacramenta. Et ex hâc similitudine sæpe sumunt nomina ipsarum rerum. Sicut ergo Sacramentum corporis Christi est quodammodo corpus Christi, & Sacramentum sanguinis Christi est sanguis Christi, sic Sacramentum fidei est fides.* Et contra Adimantum Manichæum: *Non dubitavit dicere:* hoc est corpus meum, *cùm daret sui corporis signum.* Et super Psal. 3. Mira est Christi patientia qui Judam convivio excepit, quo Discipulis præbuit figuram corporis & sanguinis sui Et Ambr. L. de Sacram. Non iste panis est qui vadit in corpus, sed panis vitæ æternæ qui animæ nostræ substantiam fulcit.

Obj. Apud Patres sæpe fit mentio mutationis in Elementis. *Resp.* Imò mutationis in aliquid quod ante non fuit, non in aliquid quod fuit ante. Est enim mutatio à pane & vino communi usui destinatis in panem & vinum quibus pascantur animæ. Mutatio est usus non substantiæ.

Obj. 2. Ante Lutherum Ecclesia universalis tuebatur hanc realem præsentiam, tanquam de fide; ergo semper erat articulus fidei: per 2. p. sec. 9. n. 12. *Resp.* Ex 2. p. sec. 11. n. 13. Traditionem Ecclesiæ Romanæ adeo esse conturbatam ex creditâ ejusdem Ecclesiæ infallibilitate ut non habeat vim testimonii universalis nisi concors sit cum Scripturis sacris, antiquis patri-

 bus,

bus, &c. *Resp.* 2, Concilium ipſum Tridentinum timidè loquitur de hâc præſentiâ Chriſti, & eam verbis vix exprimi poſſe ait. At facile erat adhibere ad hoc exprimendum verba quibus uſa eſt Scriptura ſacra, quibus antiqui patres. Cùm neſcias exprimere aliquid verbis, fateris te novum quiddam cogitare. Tranſubſtantiatio decernebatur in Concilio Lateranenſi, ſed quàm miſerè ibi explicaretur liquet ex recantatione Berengarii. Re verâ Tranſubſtantiatio videtur gradatim introïiſſe in Eccleſiam. 1, Patres ad reverentiam Sacramenti augendam & ad arcendum ejus prophanationem, interdum ferè hyperbolicè de eo loquuti ſunt. 2, Tum poſtea realis quædam præſentia Chriſti cogitabatur. 3, Hanc præſentiam nonnulli explicârunt per mutationem ſubſtantiæ panis & vini in ſubſtantiam corporis & ſanguinis Chriſti. 4, Hanc mutationem ſubſtantialem Concilium Lateranenſe propoſuit ut articulum fidei. Qui gradus liquidi erunt legenti à Scripturâ ſacrâ deinceps ad Concilium Lateranenſe; ne gratìs eos adduci putes.

25. Sunt tandem multi textus Scripturæ ſacræ qui videntur non poſſe ferre præſentiam realem Chriſti in Sacramento. Mat. 26. 11. *Me non ſemper habetis.* Aug. *i. e.* ſecundum corporalem præſentiam: at ſecundum majeſtatem, ſecundum providentiam, ſecundum inviſibilem gratiam impletur illud: Ecce vobiſcum ſum uſque ad conſummationem ſeculi. Act. 3. 31. Quem oportet cœlum capere uſque ad reſtitutionem omnium. His reſpondetur Chriſtum eſſe jam ſolùm in cœlo ſecundum præſentiam localem, eſſe autem ſub ſpeciebus Sacramentaliter. *i. e.* non ſecundum propriam ſpeciem nec ut in loco. At Aug. in Pſal. 33. ait: Si ſpatia locorum auferuntur à corporibus, nullibi ſunt. *i. e.* nulla ſunt.

26. Aſ-

26. Affinis Transſubſtantiationi eſt Conſubſtantiatio, proles Lutheri : Manere, aiunt, ſubſtantiam panis & vini poſt conſecrationem, ſed ſimul inibi eſſe ſubſtantiam corporis & ſanguinis Chriſti, idque ob ubiquitatem quæ humanitati impertitur à verbo. Nam 1, duarum rerum unitarum ubi eſt una ibi eſt altera; ergo ubi eſt Divinitas Chriſti ibi eſt ejus humanitas, *i. e.* ubique. 2, *In ipſo inhabitat omnis plenitudo Divinitatis corporaliter:* Col. 29. 3, *Omnia mihi tradita ſunt à Patre*, ergo & omnipræſentia. 4, Ubi ſunt duo vel tres congregati in meo nomine, ibi ſum in medio eorum. Sic 28. 20. Sum vobiſcum uſque ad conſummationem ſeculi.

27. Sed hoc dogma vix paucioribus Morbis laborat, quam illud de Tranſubſtantiatione. Ego adverto hæc duo: 1, Ubiquitas tollit naturam corporis & creaturæ, & ſic Chriſtus ubiquitariorum non eſt verè homo. Conſequentia eſt evidens; nam verè homo eſt verè creatura conſtans ex vero corpore & verâ animâ. Antecedens etiam liquet; nam natura corporis & omnino creaturæ eſt reſtringi ſic ut hoc non ſit illud; quod eſt illimitatum eſt Deus: 2, Si Chriſtus eſt præſens ob ubiquitatem, tum non eſt magis præſens in pane conſecrato quàm in non conſecrato, nec veriùs diceretur de pane quàm de menſâ: *hoc eſt corpus meum.* Sed ad argumenta.

28. Ad 1. reſp: antecedens verum eſt, ſi uniuntur adæquatè ut ſuperficies & albedo chartæ, materia & forma ſolis, aquæ &c. At non eſt verum ubi res uniuntur inadæquatè, ut anima & caput hominis, Sol & orbis ſolaris, rota & radius, humanitas Chriſti & perſona *Verbi.* Ad 2. Corporaliter. *i. e.* ſubſtantialiter & completè; nam Chriſtus eſt plenè Deus, ſed non quà homo. Ad 3. Omnia ſunt Chriſto tradita:

ſcilicet in perſonâ Verbi, non verò ut in humanitate formaliter reſideant: ſic enim infinitum comprehenderetur à finito. Ad 4. Eſt ibi per gratiam & directionem & protectionem, non autem per corporalem præſentiam.

29. E reali præſentiâ Chriſti in Euchariſtiâ prognatum eſt ſacrificium Miſſæ, quod dicunt eſſe propitiatorium pro vivis & mortuis, quaſi ſcilicet Sacerdos offerret Chriſtum Patri. Ac nos quidem ſacrificium ſpirituale, nimirum laudum, gratiarum, *&c.* hîc agnoſcimus. Licet etiam appellare Euchariſtiam ſacrificium commemorativum. *i. e.* commemorationem ſacrificii quo ſe ſemel obtulit Chriſtus, quoque ſuſtulit peccata mundi, quódque unicum ab omnibus Chriſtianis agnoſcitur ſacrificium propitiatorium. Aug: *Quotieſcunque Paſcha celebratur, nunquid toties Chriſtus occiditur? Sed tamen anniverſaria recordatio repræſentat quod olim factum eſt, & ſic nos facit moveri, tanquam videamus in cruce pendentem Dominum.* Ambroſ: ſuper Ep: ad Hebræos: *In Chriſto ſemel oblata eſt Hoſtia ad ſalutem ſempiternam potens? Quid ergo nos? Nonne per ſingulos dies offerimus? ſed ad recordationem mortis ejus.* Thomas in Summâ: *Chriſtus dicitur immolari in Euchariſtiâ, quia ea eſt imago Paſſionis ejus; imagines enim ſolemus appellare nominibus rerum quarum ſunt imagines, ut in aulæis: hic eſt Cicero, hic Cæſar.*

30. Et qui hoc exangue ſacrificium appellant propitiatorium pro vivis & mortuis, dicent, credo, illud eſſe propitiatorium ſolùm vi paſſionis Chriſti, cui proinde non derogat ſed ſubſervit: quod non vel ſic concedi fas eſt. Fateor quidem Deo ob merita Chriſti placere quòd baptizamur, precamur, Eleemoſynam damus, Euchariſtiam celebramus, & quæcunque

ejus

ejus juſſa peragimus ; unde etiam hæc appellantur ſacrificia ſpiritualia, & ſacrificio Chriſti ſubſervientia. Atque fiunt commodo noſtro ; *ſed num & aliorum ?* In ſolâ precatione pro aliis placemus Deo ; nam præcepit Deus ut pro aliis precemur ; non autem ut pro aliis baptizemur, aut Euchariſtiam ſumamus, aut eleemoſynam demus. Itaque dicet : *Quis requiſivit hæc à vobis ?*

31. Ex eâdem corporali præſentiâ nata eſt in Eccleſiâ Romanâ conſuetudo præbendi laicis ſolùm panem ſine calice. Eſſe enim totum Chriſtum ſub ſpecie panis ; carnem quidem vi conſecrationis, ſanguinem verò per concomitantiam. Chriſtum quippe eſſe in hoc Sacramento pro præſenti ſuâ conditione. Cùm ipſe primùm conſecraret, erat mortalis ; & tum panis vertebatur in carnem ejus mortalem. Si verò aliquis Apoſtolorum conſecraſſet in triduo mortis, tum panis verſus fuiſſet in carnem exanguem, & vinum in ſanguinem effuſum. In reſurrectione Chriſtus indiſſolubiliter reunivit carnem & ſanguinem ; exinde ergo ubicunque eſt caro Chriſti ibi eſt & ſanguis ejus. Et ſic Laici ſine calice habent & carnem & ſanguinem Chriſti.

32. Tota hæc ratiocinatio innititur Tranſubſtantiationi, & cum eâ concidit ; & tuetur morem à formâ primæ conſecrationis (quæ nobis perpetua regula eſſe debet) prorſus alienum. Videtur etiam is qui ſolùm carnem habet expreſsè & ſanguinem per concomitantiam tantùm, is inquam videtur non bibere ſed edere ſanguinem Chriſti ; nam nihil facit circa panem conſecratum niſi ex mandato Chriſti. at Chriſtus de pane conſecrato dixit ſolummodo : accipite & manducate. Certè is non bibit ſanguinem Chriſti Sacramentaliter ; nam vinum in Sacramento repræſentat

ſan

ſanguinem Chriſti ut effuſum, qui ſumitur in pane ſanguis eſt concretus cum carne.

33. Ex eâdem præſentiâ enaſcitur adoratio Hoſtiæ. Sed ſi nulla eſt Tranſubſtantiatio, an non hæc λατρεία eſt idololatria? Fatentur paſſim Romaniſtæ cum indignatione dubii. Noſtrûm quidam ſic emolliunt rem. Colunt Chriſtum quem credunt eſſe ſub ſpeciebus panis & vini. Jam cultus debetur Chriſto, error eſt Hoſtiam cum Chriſto conjunxiſſe. Sunt ergo rei non colendi aliud pro Chriſto, ſed opinandi Chriſtum quoad corpus eſſe alibi quàm in cœlo. Non enim adorant Chriſtum quia eſt in Hoſtiâ, ſed quia eſt Chriſtus. Eſſe autem in Hoſtiâ eſt adjunctum per accidens Chriſto in quantum eſt objectum λατρείας. Et hæc quidem excuſatio naſcitur è charitate; itaque valeat quantum valere poteſt.

34. Tandem quia Baptiſmus & Euchariſtia ab omnibus, eáque ſola ab omnibus cenſentur Sacramenta à Chriſto inſtituta in perpetuum & generalem uſum omnium Chriſtianorum, itaque hîc ſubjiciam nonnulla quæ Sacramentis communia habentur.

35. Sacramentum in genere continet omnia ſigna quibus Deus confirmat hominibus veritatem ſuæ promiſſionis. Sic arbor vitæ erat Sacramentum Adamo & Evæ, arcus Noæ, vellus Gideoni, retractio umbræ Ezekiæ, circumciſio Abrahæ & poſteris ejus, purificationes ſacrificia & aliæ ceremoniæ Judæis ſub lege. Sacramentum novæ legis eſt ſigillum quo nobis confirmat Deus promiſſa in Evangelio addens verbo ſignum tanquam evidentius noſtræ imbecillitati; quaſi diceret in Baptiſmo, hujus peccata tam certò remittuntur ac ſordes corporeæ aquâ abluuntur; & in Euchariſtiâ dicit ritè ſumenti: anima tua tam certò nutritur corpore & ſanguine. *i. e.* paſſione

Chriſti,

Christi, ac corpus pane & vino reficitur.

Obj. Philippus dicit Evnucho: *Si credis toto corde &c.* Quid autem opus est confirmatione Baptismi toto jam corde credenti? *Resp:* Toto corde. *i. e.* sincerè licèt imbecillitate commixtâ; nam semper orandum est ut fides nostra augeatur. Psal: 119. 10. *Toto corde te quæsivi; ne sinas me vagari a præceptis tuis.*

36. Utque institutio Sacramenti est sigillum affixum Verbo Dei, ita susceptio est ex parte nostrâ sigillum fidei, quam scilicet in susceptione Sacramenti profitemur coram Deo & hominibus. Baptizatus dicit: tam credo peccata mea ob merita Christi ablata esse, quàm corpus meum hâc aquâ ablui. Et sumens Eucharistiam dicit (non verbo sed re) tam credo animam meam pasci corpore & sanguine Christi ad vitam æternam, quàm corpus meum refici pane ac vino.

37. Atque hic quidem est præcipuus usus & finis Sacramentorum. Ulteriùs deserviunt 1, Christianis coadunandis. Aug: *In nullum nomen religionis sive verum sive falsum coadunari homines possunt, nisi aliquo signaculorum seu Sacramentorum consortio colligentur.* 2, Deservit Sacramentum humanæ naturæ mulcendæ & ducendæ, quippe cui sit naturale per sensibilia & corporea ad intelligibilia & spiritualia diduci. 3, Studium humanæ actionis est plerumque circa sensibilia, ut durum sit hominem à sensibilibus prorsus abstrahere; Itaque ei proposita suntcorporalia exercitia in Sacramentis quibus salubriter exerceatur, & distineatur à superstitiosis exercitiis in cultu Dæmonum, &c. 4, Dum Christus præbet Ecclesiæ hæc sensibilia sui repræsentamina, monet non alias ejus imagines in cultu Christiano adhibendas esse.



38. Sacramenta novæ legis dicuntur conferre gratiam quam significant. Sic in Baptismo significatur purga-

gatio animæ; & baptizati purgamur. In Eucharistiâ significatur corpus & sanguinem Christi assumi ab animâ; & assumuntur. Si verò in Eucharistiâ tradi volunt verum & naturale corpus Christi, quia corpus ejus verum & naturale significatur per panem, id nisi à Transubstantiatoribus aut Consubstantiatoribus non concedetur.

39. Cùm autem susceptio Sacramenti supponat gratiam, meliùs videtur dici, Sacramenta augere quàm conferre gratiam. Meliùs etiam videtur dici Sacramenta esse media gratiæ à Deo impetrandæ, quàm instrumenta Dei in gratiâ conferendâ. Nec quidem potest intelligi instrumentalitas corporum in effectione spiritualium. Respondet Aquinas, *Quòd agunt non per formam suam sed per formam principalis agentis i. e. Dei.* Quod quid est nisi totam efficientiam Deo, Sacramentis nihil addicere? Ac Magister quidem Senten: dicit Sacramentum solum ostendere quod agit Deus: De quo pòst ubi de absolutione: Interea facilè intelligitur Sacramenta esse media ad gratiam impetrandam, scilicet ex voluntariâ constitutione Dei, qui statuit gratiam exercentibus ulteriorem gratiam impertire.

40. Dices, tum Sacramenta non magis conferunt gratiam quàm preces eleemosynæ *&c. Resp.* non magis, sed majorem. Nam preces, laudes, eleemosynæ, *&c.* suas partes agunt Christianæ obedientiæ, at singula Sacramenta repræsentant Christum ut pro nobis passum, adeoque in iis celebrandis totum exercetur Evangelium: Hîc & laudamus & precamur, & fidem ac spem profitemur, & charitatem exercemus: Tanto cumulo devotionum non possumus non esse gratiores Deo remuneratori. Dixit enim. *habenti dabitur*:

41. Jo: 15. dicitur, *Jam vos mundi estis propter sermonem*, super quo Augustinus: *Unde est ista tanta virtus aquæ, ut corpus tangat & cor abluat, nisi faciente verbo? non quia dicitur sed quia creditur.* Ex quo videtur sequi soli fidei deberi omnes effectus qui attribuuntur Sacramentis. *Resp:* Soli fidei debentur ut radici, est enim ea radix omnium bonorum operum. Verùm per omnes Christianæ obedientiæ partes placemus Deo, eique gratiores reddimur; quod quid est nisi gratiam accipere?

42. In Scholâ dicitur, Sacramenta Ueteris Legis solùm significâsse non autem contulisse gratiam. Nostrates multâ cum ratione fere communiter statuunt, illorum Sacramenta idem illis præstitisse, quod nobis nostra minore tamen gradu; obscurâ scilicet cognitione non pariente fervidam devotionem. 1 *Cor:* 10. 3. Edêrunt eundem cibum spiritualem, & bibêrunt eundem potum spiritualem (nam bibêrunt è rupe illâ spirituali quæ eos comitabatur, & rupes illa erat Christus). Num quod contulit Christum Judæis erat merum inefficax signum? & *Rom:* 4. 12. Circumcisio vocatur sigillum justitiæ fidei.

Obj: Heb: 10. 1. Per ceremonias Legis non purgantur peccata. *Resp: i. e.* non in se, nec nisi per ordinem ad Christum. Dices: Cur igitur sunt sublata Sacramenta veteris legis? Respondet Aug: contra Faustum; *Sunt ablata, quia impleta; & alia sunt instituta virtute majora, actu faciliora, numero pauciora.*

43. Solus Deus instituit Sacramenta, nam solus potest eorum effecta præstare. Quæ autem in consecratione adhibentur ultra institutionem Domini, ea pertinent ad solennitatem, non ad necessitatem Sacramenti.

44. Per Sacramenta quæ fluxêre de latere Christi pendentis in cruce dicitur esse fabricata Christi Ecclesia, per Baptismum enim regeneramur, per Eucharistiam nutrimur.

45. Ministri Ecclesiæ quanquam sint mali homines possunt conferre Sacramenta cum effectu; nam Minister est tantùm instrumentum Christi in hoc negotio; ideoque non agit secundum suam formam sed secundum formam Christi. Aug: *Quid tibi fecit malùs Minister, ubi bonus est Deus?* Minister tantùm exhibet ceremoniam externam, effectus est Dei qui instituit, & qui neminem eo spoliabit ob vitium alterius. Ministri tamen debent esse conformes Domino, & mali peccant sacra tractando; & contra suscipientes Sacramenta, quibus fervorem devotionis suis malis exemplis minuunt; & contra Deum, quem externâ ceremoniâ colunt, sed vitæ pravitate contumeliâ afficiunt; atque adeo semet infimæ gehennæ inter hypocritas obsignant.

46. Sed num intentio Ministri requiritur ad perfectionem Sacramenti? Certum est Ministrum debere intendere id quod intendit Ecclesia cujus instrumentum est in hoc opere. Rem ad hunc modum explicat Thomas in Summâ: Minister Sacramenti agit in personâ totius Ecclesiæ, in verbis autem quæ profert exprimitur intentio Ecclesiæ, quæ sufficit ad perfectionem Sacramenti, licèt personales Ministri cogitationes post alia divagentur. Ea quippe divagatio non magis impedit effectum Sacramenti quàm alia ejus vitia. *n.* 45.

SECT.

SECT: XIII.

De Confirmatione.

Ecclesia omni ævo usa est Confirmatione Episcopi post Baptismum.

1: EA in Ecclesiâ Romanâ statuitur esse Sacramentum. Cujus materia est inunctio frontis Chrismate (quod ab Episcopo anteà consecrabatur) in formam crucis. Forma est in his verbis: *Consigno te signo crucis & confirmo te Chrismate salutis, In nomine Patris, & Filii, & Spiritus sancti.* Gratia significata est robur spirituale: Melchiades Papa ad Episcopos Hispaniæ: *Spiritus sanctus qui super aquas Baptismi salutifero descendit lapsu in fonte plenitudinem tribuit ad innocentiam, in confirmatione augmentum præstat ad gratiam; in Baptismo regeneramur ad vitam, post Baptismum confirmamur ad pugnam: in Baptismo abluimur, in Confirmatione roboramur.*

Obj: Omnium Christianorum est pugnare ergo instruimur ad pugnam per Baptismum per quem facti sumus Christiani; & sic non videtur opus esse confirmatione. Respondet Thomas in Summâ: Omnium Christianorum esse pugnare adversus hostes invisibiles, concupiscentiam nempe & Diabolum: at Confirmatorum esse pugnare fortiter adversus persecutiones & alias tentationes Mundi.

Solus etiam Episcopus statuitur Minister hujus Sacramenti; nam à solis Apostolis peractum legitur in Scripturâ sacrâ; & pariter se habuit usus Ecclesiæ.

2. Noſtras Eccleſia confirmationem retinet, quantum ad orationem pro gratiâ; idque ex juſſu Domini: *Petite & accipietis*; & quantùm ad impoſitionem manus, quia eâ ceremoniâ in hoc opere uſi ſunt Apoſtoli. Verùm apud nos non inſignitur Confirmatio nomine Sacramenti, ſed ut ſupplementum Baptiſmi exercetur. Nam licèt omnibus eam ritè ſuſcipientibus ſine dubio proſit Confirmatio (cùm Dominus dixerit: petite & accipietis) tum eſt ea maximè neceſſaria iis qui baptizabantur in Infantiâ, cùm jam adultiores & doctiores facti in Evangelio, votum baptiſmale profitentur in ſe ſuſcipere.

3. Confirmatio quidem Apoſtolorum frequenter ornabatur donis extraordinariis Spiritus ſancti, quæ quidem noſtras confirmationes non ſequuntur. Nec tamen dubium eſt quin hæ quoque valeant ad augmentum gratiæ gratum facientis. Ut enim Deus non defuit Eccleſiæ per Miracula condendæ, ſic non deerit Eccleſiæ per Munera ordinaria conſervandæ; atque adeo non deerit Miniſtris ſuis in hâc aut ullâ aliâ officii ſui parte.

SECT. XIV.

De Pœnitentiâ.

Christus invitat omnes peccatores ad pœnitentiam; & omnibus pœnitentibus promittit veniam.

1. IN Scholâ tractatur de pœnitentiâ duplici titulo, quà est virtus & quà est Sacramentum. Pœnitentia quà virtus definitur: Dolor de peccato commisso in quantum est offensa Dei, cum emendationis proposito.

2. Hic dolor est partim rationalis partim sensitivus; dolor de peccato quà rationalis est displicentia peccati, & non potest esse nimius. Dolor hic ex quâ parte est sensitivus est tristitia quædam; quæ potest esse nimia; quippe si corpus affligitur ultra quàm benè ferre potest. Hunc dolorem nonnulli tam vehementem esse debere autumant, ut eum comparent doloribus parturientis; ut pœnitere sit lachrimari, plangere, iram legis persentiscere, animo ad portam gehennæ detrudi. Et nonnihil horum potest fortasse intercidere; verùm in Scripturâ sacrâ cùm invitamur ad pœnitentiam, simul certi reddimur de veniâ; quod quomodo stet cum tam miseris angoribus ego non capio. Dicimus quidem in Confessione ante consecrationem Eucharistiæ: recordationem peccatorum nostrorum nobis gravem esse, eorum onus esse insupportabile. Per quod hoc volumus, peccata in se esse insupportabilia, utpote importantia secum vindictam omnipotentis; & hoc modo eorum cogitatio peccatorem in quaslibet furias valeat

leat adigere; verum ex fide & ſpe in Chriſto hæc ipſa cum ſolatio cogitamus.

3. Pœnitentia ſtatuitur actus juſtitiæ, quia eſt vindicta quædam quam de nobis ſumimus & quam Deo retribuimus. Verùm, ut ait Philoſophus, Deo & parentibus æqua reddi non poſſunt. Ac homuncionis dolor eſt miſera compenſatio pro offensâ in Deum; eſt tamen quam accipit ob Chriſtum qui plenè ſatisfecit pro peccatis Mundi. Ut ergo pœnitentia rite dicatur actus juſtitiæ, ſecum Merita Chriſti adferre debet, in quorum virtute & deſtruit peccatum & Juſtitiæ Divinæ ſatisfacit.

4. Pœnitentia non agitur de peccato originali, quippe quod non conſiſtit in perſonali deordinatione voluntatis, ſed in quâdam quaſi habituali deordinatione naturæ. Nullum autem peccatum actuale remittitur abſque pœnitentiâ; nam quem non penitet peccati is peccatum diligit, ac proinde Deum odit, adeóque à juſto Judice puniendus eſt. Jure quidem, dices, at ex abyſſo Miſericordiæ an non poteſt Deus ignoſcere etiam obdurato? *Reſp:* Miſericordia Dei eſt inſeparabilis ab ejus juſtitiâ, ergo miſericordiæ divinæ opus eſt non ignoſcere impœnitenti, ſed operari pœnitentiam; ad quam multa quidem omnibus exhibet argumenta, quæ ſi quis cuncta contemnit, nulla relinquitur ſpes. Nam tali parcere eſt juſtitiam negligere.

5. Actus integrantes pœnitentiam ab Aquinate numerantur hi: 1, motus fidei, in quantum credimus Deum eſſe & eſſe juſtum Judicem. 2, motus timoris ſervilis, qui retrahit à peccatis metu ſuppliciorum. 3, motus ſpei, quo quis, ſpe veniæ conſequendæ, emendandæ vitæ propoſitum aſſumit. 4, motus charitatis in quantum peccatum jam diſplicet

propter

propter seipsum & non solùm propter supplicia. 5, motus timoris filialis, in quantum propter reverentiam Dei emendationem offerimus.

6. Pœnitentia est vel de peccatis antegressis Baptismum vel de iis quæ Baptismum sequuntur; & hæc dicitur secunda tabula post naufragium. Baptismus quippe erat prima.

7. Hujus loci est paucis agere de peccato veniali & mortali. Peccatum mortale vocant in Scholâ peccatum quod aufert Charitatem; veniale quod solùm tollit fervorem Charitatis. Nostrates parcè utuntur his appellationibus, quippe qui statuunt omne peccatum sine Christo esse mortale, per Christum omne peccatum esse veniale. Gradus tamen in peccatis agnoscimus, & alia gravia alia levia passim nuncupamus. Verùm levia dicuntur in comparatione ad alia graviora; nam nullum peccatum in Deum potest esse absolutè & in se leve. Interea distinctio peccati mortalis & venialis non est prorsus repudianda, nam sumitur ex 1 Jo. 5. 16. *Est peccatum ad mortem.* Et *Est peccatum non ad mortem.* Non tamen hinc sequitur ullum peccatum ex genere suo esse non ad mortem, sed saltem aliqua peccata ex infirmitate aut incogitantiâ nasci, quæ proinde non indurant cor, sed pænitentiæ facilem præbent aditum. Nonnulla vero peccata ex malitiâ orta & cum contumaciâ continuata præcludunt animum contra omnes monitiones aut rationis suæ aut alienæ, hæc sunt ad mortem, quia pœnitentiam fere non admittunt sine miraculo. Itaque peccatum quod est mortale in uno (ob malitiam contumacem cordis) potest esse veniale in alio ob excusationes infirmitatis aut incogitantiæ quas secum adfert, et ob mansuetudinem spiritus quæ ducit ad pænitentiam. Jam quòd peccata venialia

lia remitti aiant repetitione Orationis Dominicæ, tunsione pectoris, aspersione aquæ benedictæ, &c, mirum est unde id didicerint. Scriptura sacra non meminit repetitionum, tunsionum aut aspersionum; unde ergo habetur, ista veniam impetrare pro levioribus peccatis? *In quantum*, inquiunt, *per ista exprimitur detestatio quædam peccati.* Ego regero, sinceram detestationem peccati esse veram pœnitentiam, cui promittitur venia cujuscunque peccati sine istis observatiunculis.

8. Pœnitentia ulterius consideratur in Ecclesiâ Romanâ ut *Sacramentum.* Hujus statuuntur tres partes integrantes, Contritio, Confessio & Satisfactio; quas ut ab illis explicantur ob oculos legentis ponam, subjuncturus ea in quibus dissentimus. *Contritio* autem definitur dolor assumptus pro peccatis in quantum sunt offensa Dei, cum proposito confitendi & satisfaciendi. Hæc oritur ex timore filiali; dolor ortus ex timore servili dicitur attritio.

9. *Confessio* (per Aug:) *est quâ latens morbus spe veniæ aperitur.* Ea statuitur necessaria quia Christus dedit suis potestatem remittendi aut retinendi peccata; at dedit frustra nisi possit exerceri; exerceri autem non potest nisi peccata detegantur. Et sic, confiteri Sacerdoti quid est nisi agnoscere potestatem ei à Christo concessam? Ac in Ecclesiâ quidem Romanâ hæc confessio dicitur auricularis, facta scilicet in aurem Sacerdotis; & debet esse particularis de omnibus peccatis admissis post novissimam confessionem; semperque facienda est ante receptionem Eucharistiæ, & frequenter aliàs.

10. In nostrate Ecclesiâ nemo tenetur confiteri particulariter aut seorsim, sed in publicis precibus edicimus genera peccatorum eorúmque nos fatemur

reos

reos eorúmque veniam humiliter petimus. Ac tum à Ministro solo pronunciatur generalis promissio Dei de omnibus pœnitentibus absolvendis. Atque hæc forma videtur magis honorifica Deo quàm confessio auricularis, sicut etiam preces publicæ & laudes publicæ sunt magis honorificæ quàm privatæ. Necessitatem certè confessionis auricularis universim, quod scio, Protestantes negant; non quasi illa sit scelerata, sed puto, quia gravis sit populo, nec eventu utilis, & non mandetur à Domino. Tamen in nostrate Ecclesiâ si cui ægrotanti, aut iter periculosum suscipienti, aut quâcunque aliâ occasione videtur pectus suum Pastori aperire per aliquam confessionem privatam unius aut aliquorum peccatorum cum detestatione omnis peccati, tum Minister eum absolvit particulariter & positivè, dicens: Ego te absolvo &c. & hoc facit evidenti authoritate Christi ei per Ecclesiam commissâ. Et hujus praxin commendat S: Jacobus c: 5. 15. *Si habet peccata remittentur ei* scilicet per Presbyterum accersitum.

Obj: Si eum intus pœnitet peccati, remittitur ei à Deo, cui quid opus est addi remissionem Pastoris? *Resp:* Pari ratione sic argue: Si quem pœnitet peccati remittetur ei à Deo, cui quid opus est addi Baptismum? Placuit scilicet Deo addere verbo Sacramentum, indulgens quasi ulteriorem confirmationem infirmitati nostræ. Ei etiam placuit certa obsequia à suis exigere ut professiones fidei & pœnitentiæ internæ, quæ quidem obsequia non prosunt animabus ex naturâ rei sed quia mandantur. Et qui Christi mandata non exequitur is non est intus pœnitens.

11. Ut Deus celat peccata confitentis, sic ea Minister celare debet, cùm confessio exterior ad Sacer-

 dotem

dotem ſit ſignum interioris ad Deum. Ac in Eccleſiâ quidem Romanâ Sacerdos tenetur celare confeſſa non obſtante quocunque juſſu Superiorum, non enim iis ſubjicitur niſi ut homo, hoc autem ſcit non ut homo ſed ut Deus. (Sunt verba Supplementi Summæ Aquinatis). Adductus etiam in teſtimonium poteſt jurare quòd neſcit hoc quod non ſcit niſi ut Deus. Confitentis tamen licentiâ poteſt edicere, nam jam hoc ſcit non ſolùm ut Deus ſed etiam ut homo. Et quod quis poteſt per ſe poteſt per alium: ſed confitens poteſt ipſe dicere ſua peccata, ergo poteſt licentiam dare ut alius dicat.

12. Satisfactio eſt peractio iſtorum quæ à Confeſſore injunguntur. Suntque ea opera quædam pœnalia, & ponuntur tria, Eleemoſyna, Oratio & Jejunium. Non enim habemus niſi tria bona; nimirum fortunæ, quibus ſubtrahitur per eleemoſynam; corporis, quibus ſubtrahitur per jejunium; & animi, quibus ſubtrahere non oportet (cùm per ea Deum colamus), ſed totaliter ſubjicienda ſunt Deo, quod fit per Orationem. Dictæ etiam pœnalitates auferunt radices peccatorum. Eæ ſunt 1 Jo: 2. 16. Concupiſcentia carnis, concupiſcentia oculorum & ſuperbia vitæ. Contra primam militat jejunium; contra ſecundam eleemoſyna; contra tertiam oratio. Hæ pœnalitates etiam aditum peccatis præripiunt; peccatum contra Deum excludit oratio, contra noſmet Jejunium, contra alios eleemoſyna. Flagellationes autem & quicquid pertinet ad ſubigendam carnem referuntur ad Jejunium; & ſic de cæteris. Flagella hujus vitæ quæ à Deo infliguntur peccatori, in quantum fiunt aliquo modo ipſius *i. e.* in quantum ea fert patienter, & cum gratiis, & ad purgationem à peccato, ſic pertinent ad pœnitentiam; ſi autem iis per-

im-

impatientiam reluctatur, non pœnitentiæ sed pœnæ rationem subeunt.

13. Ac nos quidem orationem & eleemosynam exercemus, idque ex mandato Dei. Jejunia etiam frequenter & nonnunquam alias pœnalitates subimus, 1, ut conformemur humilitati Christi; 2, ad subigendum carnem; 3, in exercitium patientiæ & aliarum virtutum; 4, in evitationem futuri peccati; nemo enim facilè recurret in id ob quod est passus. Minimè verò ad satisfaciendum Deo, cui abundè satisfecit Christus pro peccatis mundi, nec ullam aliam satisfactiunculam huic addi patimur. Adde quòd homo totum suum debet Deo, ergo per nihil suum potest satisfacere pro offensâ.

14. Jam habe cur pœnitentia insigniatur nomine Sacramenti in Ecclesiâ Romanâ, non item apud nos. Apud illos pœnitentia dicitur Sacramentum, in quantum pœnitens per ea quæ dicit & facit, significat cor suum recessisse à peccato; & in quantum Sacerdos, per ea quæ dicit, significat divinam peccatorum remissionem. Materia hujus Sacramenti remota est peccatum, materia proxima sunt dicta & facta pœnitentis; Forma est in dictis Sacerdotis [*Ego te absolvo*] nam hæc sunt perfectiva dictorum & factorum pœnitentis. Quia autem Sacerdos non nisi ministerialiter absolvit, itaque apponi debet aliquid pertinens ad primam authoritatem Dei, viz. *In nomine Patris & Filii & Spiritus sancti.* vel, *authoritate Dei*; vel, *in virtute passionis Christi.*

15. Apud nos autem pœnitentia ideo non vocatur Sacramentum, quia confessio particularis facta Sacerdoti non est necessaria ad salutem, nec consequenter ejus particularis absolutio. Absolutio autem generalis nihil est nisi prædicatio Evangelii; Sacra-

mentum autem non est verbum, sed additur ut sigillum verbo. Ac in totâ re si Sacramentum hic nominari oporteat, non jam (ut advertit Calvinus) erit Sacramentum pœnitentiæ; sed confessionis & absolutionis.

16. Prædicta aliquantò clariora erunt si adhibeantur pauca de clavibus. Nam Mat. 16. 19. Dixit Dominus Petro: *Dabo tibi claves regni cœlorum*, &c. Jam per regnum cœlorum possumus intelligere vel statum beatorum vel statum Christianorum militantium. Ecclesia militans nuncupatur regnum Dei & regnum cœlorum, quia ea regitur à Christo qui est de cœlo, & in cœlo. Tum etiam quia Ecclesia militans est porticus cœli & unica via ad beatitudinem cœlestem; tum etiam ut ii qui sub Christo Ecclesiam regunt, moneantur terrena non esse Christiani juris. Jam qui est sincerum membrum Ecclesiæ militantis, is discedens ex hâc vitâ certò & rectè meat in cœlum sine ullo ulteriore adminiculo; nec enim quicquam requiritur ad vitam æternam nisi ut bonus sis Christianus in hâc vitâ. Nulla ergo est propria clavis regni cœlorum; *i. e.* Ecclesiæ triumphantis, sed quæ aperient tibi regnum Dei in terris, eædem claves aperient tibi ejus regnum in cœlis.

17. Clavis autem Ecclesiæ militantis est vel dispositio ob quam Ecclesia cuiquam aperitur, & hæc est fides ac pœnitentia; vel est instrumentum à Deo conditum quo Ecclesia aperitur credentibus & pœnitentibus, *i. e.* quo actu admittimur in communionem Sanctorum. Et hæc propriè dicitur clavis; illa altera est dispositio tantùm passiva recommendans nos ad beneficium clavium.

18. Prima igitur clavis regni cœlorum est Baptismus per quem admittimur in Ecclesiam, remissis

omnibus

omnibus peccatis Baptismum antegressis. Secunda clavis est absolutio quâ peccata admissa post Baptismum remittuntur pœnitenti: Per ea enim quasi abrenunciaverat Baptismo & se quantum quidem ad meritum suum ex Ecclesiâ ejecerat. Observa autem Eucharistiam non dici clavem, quia non admittit in Ecclesiam, sed admissos alit.

19. Quia peccatum è cœlo excludit, itaque utraq; clavis aperit vel claudit cœlum, remittendo vel retinendo peccata. Ejus clavium duo habet: 1, potestatem judicandi qui sint idonei ad recipiendum Baptismum aut absolutionem, & qui non sunt; 2, potestatem illos recipiendi, & hos rejiciendi.

20. Retinere peccata videtur idem esse ac non remittere; nam nefas esset imaginari duritiem ullam positivam effluere in animas peccatrices ex institutionibus Christi.

Obj: In foro, non solùm non remittuntur peccata obduratorum, sed etiam peccatores per excommunicationem alligantur pœnis quibusdam temporalibus, ergo ligare est plus quàm non solvere. *Resp:* Excommunicatio alligat peccatorem pœnis quibusdam sed non peccatis. Imò hæ pænæ sunt prorsus correctiones, & delinquentis, & aliorum, 1 *Cor:* 5. 5.

21. Hæ claves sunt Christi & ab eo hominibus concreduntur. Clavis ordinis per quam remittitur peccatum committitur solis Sacerdotibus. Clavis Jurisdictionis, per quam solvitur aut ligatur, non peccatum sed pœna, *i. e.* excommunicatio aut absolutio, potest committi aliis quàm Sacerdotibus.

22. Lombardus dicit *l:* 4. *Sent: d:* 18. Sacerdotibus commissa est potestas remittendi peccata; non ut propriâ virtute remittant, quia hoc Dei est; sed ut operationem Dei remittentis ostendant, tanquam Ministri.

nistri. Ligat, *i. e.* Ligatum ostendit. absolvit, *i. e.* absolutum ostendit. At communiter dicitur Sacramenta & significare gratiam & eam operari dispositivè quidem & instrumentaliter, *i. e.* disponunt ad gratiam. De quo suprà.

23. In Ecclesiâ antiquitùs ob peccata publicè notati excludebantur interdum ab Eucharistiâ tantùm, interdum ab omnibus sacris & prorsus à consortio fidelium. Precabantur quidem pro excommunicatis sed non cum iis. His antequam redintegrarentur in Ecclesiam injungebantur vigiliæ, jejunia, preces & fortassis aliæ pœnalitates quæ & ostendant pœnitentiam & ad eam disponant; in quibus omnibus, satisfactione datâ, recipiebantur pœnitentes publicè in Ecclesiâ; & hæc readmissio, in majorem solennitatem facti & in honorem ordinis, ab Episcopo peragebatur. Nec aliam quàm hanc in Ecclesiâ executionem Clavium agnoscunt nonnulli. Ac isto quidem modo pœnitentia & absolutio integrant Sacramentum ritè dictum; sed quod sit necessarium solis publicè notatis, non autem omnibus Christianis.

SECT. XV.

De Ordine Matrimonio & extremâ Unctione.

1. DE Ordine dictum est secundâ parte; pauca adjiciam. Ordo, per Petrum Lombardum, *est signaculum quoddam Ecclesiæ quo Spiritualis potestas traditur ordinato.* Intellige Potestas *circa alios*, nam Baptismus dat baptizato potestatem, ut ipse recipiat Eucharistiam. Possit Ordo sine injuriâ appellari Sacramentum; non tamen duobus connumeratur, quia non

non est necessarius singulis Christianis ad salutem.

2. De Matrimonio dictum est in tertiâ parte; hîc solùm adverto, Matrimonium non fuisse institutum à Christo; sed à Deo in Paradiso institutum, atque ex naturæ humanæ, non quidem necessitate sed commoditate emanans, fuisse à Christo assumptum ad repræsentandum spiritualem unionem ipsius & Ecclesiæ; *Eph:* 5. 25. Et ob hanc significationem est magnum Mysterium seu Sacramentum; non tamen adnumeratur cæteris, quia non est necessarium ad salutem.

3. In Ecclesiâ Romanâ unguntur ægri ferè in articulo mortis; scilicet ad sublationem peccatorum venialium: Nam mortalia supponuntur sublata per pœnitentiam, Hancq; extremam Unctionem esse aiunt ad pœnitentiam, ut est confirmatio ad Baptismum. Eam dicunt institutam fuisse à Domino, sed ab Apostolis promulgatam, *Jac:* 5. 14. Nostrates hunc morem non retinuêre, rati unctionem Jacobi in usu non fuisse nisi cum dono Miraculorum, quod cessavit. Utcunque non injuriâ excludimus hanc unctionem è numero Sacramentorum; quia non est necessaria ad salutem: cùm per ipsos ejus fautores, non prosit nisi in venialibus: parans rectam & expeditam (damno Purgatorii) in cœlum viam. Nec loquitur S: Jacobus de ullâ efficaciâ Unctionis, sed totam videtur tribuere orationi Sacerdotis: Quod autem dicit; *Si habet peccata remittentur ei*; videtur idem ac si diceret: *Si confitetur peccata Presbytero remittentur ei*; scilicet per absolutionem non per unctionem.

SECT. XVI.

De Ceremoniis.

1. CEremonia est forma externa peragendi cultum Dei. Interdum hæc forma expreſsè mandatur à Domino; ut in Sacramentis, & in pronunciatione Orationis Dominicæ. Atque ea licèt naturâ ſuâ ſit ceremonia, tamen vi inſtitutionis Dominicæ fit de ſubſtantiâ cultus. Nam ſubſtantia cultus divini reputatur id omne quod expreſsè mandatur à Domino. Interdum verò hæc forma exterior non expreſsè mandatur à Domino; ſed vel eſt dictatum naturæ (ut elevatio manuum & oculorum in precando) vel conſtituitur humanitùs, & ea dicitur ſimpliciter ceremonia, & contradiſtinguitur ſubſtantiæ cultus tanquam veſtis corpori.

2. Ac de ceremoniis quæ dictantur à naturâ, nihil ampliùs dicam; cùm eæ non exigantur, ſed cuiq; diſponendæ relinquuntur. Ceremoniarum humanitùs conſtitutarum finis eſt decentia peragendi cultum Dei publicum. Itaque in iis duo ſunt; 1, Decentia cultus, quæ mandatur à Domino per Apoſtolum, 1 *Cor:* 14. 40. *Peragantur omnia decenter & ordine.* Secundum in iis eſt prudentia hominum judicantium quæ res deceant in cultu publico & quæ dedeceant.

3. Ceremoniæ ergo ſtatuuntur pars cultus Dei, non in quantum ſtatuitur ſic & ſic decere (nam hoc eſt judicium prudentiæ), ſed in quantum procedunt à ſtudio decenter ordinandi cultum Dei; nam hoc eſt obedire Apoſtolo qui jubet in nomine Domini, *Omnia fieri decenter & ordine.*

4. Jam ſupponendum eſt omnes Chriſtianos concordes eſſe in hoc quòd cultus Dei peragatur decenter; nam & Apoſtolus hoc expreſsè mandat; & qui aliter eum peragi vellet, is cultum Dei deridendum proponeret, quod de quoquam Chriſtiano ſuſpicari eſt contra charitatem. Ubi ergo contenditur de ceremoniis, ibi tota quæſtio eſt de prudentiâ: *e. g.* in Euchariſtiâ; *accipere*, *manducare* & *bibere*, ſunt mandati Domini ex ore ſuo. Hæc facere *decenter*, eſt mandatum Domini ex ore Apoſtoli ſui. Nonnulli autem *accipiunt*, *edunt* & *bibunt* geniculantes, alii ad Menſam diſcumbentes. Nulla hîc eſt controverſia, niſi uter ſit prudentior, illius moris author an hujus.

5. Qui ergo poſitis lege ceremoniis repugnant, non id faciunt ex tenerâ conſcientiâ ſed ex ingenti opinione ſui Judicii, *i. e.* ex merâ ſuperbiâ. Quid enim? Omnia debere decenter geri in cultu Dei convenit omnibus inter ſe Chriſtianis, nihil relinquitur ambigendum, niſi quis ſit Judex decoris; & unum aut alterum hoc ſibi officium contra leges authoritate publicâ ſancitas arrogare, quid eſt niſi præ ſuperbiâ furere?

6. *Sed quæ eſt neceſſitas ullius ceremoniæ in cultu publico? Reſp:* Cultus corporeus ſive publicus ſive privatus non poteſt peragi niſi ſub aliquâ formâ externâ: nam corporaliter colens non poteſt non eſſe in aliquo ſitu & ſub aliquo habitu, *e. g.* non poteſt precari niſi aut nudus aut veſtitus, niſi aut ſtans, aut geniculans, aut ſedens, aut procumbens &c. Rurſus cultus corporeus eſt actio corporea & ſingularis, ergo non poteſt perfici niſi in circumſtantiis determinatis loci temporis &c. Jam in cultu privato unicuiq; relinquitur hæc circumſtantialia ſibi determinare; ſo-

lummodo populus ſedulo edocetur etiam in devotionibus privatis eam partium poſitionem maximè decere, quæ reverentiam erga Deum & ſignificat & excitat.

7. In cultu autem publico ceremoniæ debent eſſe ſtatæ & ſancitæ ad vitandum confuſionem quæ decentiæ maximè repugnat, *e.g.* notum eſſe debet per canonem aut conſuetudinem ubi omnibus ſtandum eſt, ubi ſedendum, ubi geniculandum *&c.* Nam quid inconcinnius multitudine eadem ſacra gerentium, in quâ alii ſedeant & fortaſſe ſtertant, alii ſtent, alii geniculentur, complures mulierculæ provolvantur pronæ in humum, & ibi obnubilatis capitibus gemant? *Hæc exigua ſunt*, dices. Sunto, at non debent admitti in cultu Chriſtiano ubi omnia ſunt peragenda decenter.

8. Ceremoniæ etiam quædam ultra ordinariam decentiam admittendæ ſunt in ſolennitatem & ſplendorem cultus; ut quod ſacra Menſa ſit in orientali tanquam ſupremâ & ab oſtio remotiſſimâ parte Eccleſiæ, quòd Presbyter ſacra peragat togatus, & in albis *&c.* Nam cultus eſt exhibitio honoris, quæ non fit per vilia.

9. Si ceremoniæ ſunt neceſſariæ (ex *n.* 6.), & in cultu publico debent eſſe certæ & definitæ (ex *n.* 7.), ſequitur quærendum, cujus ſit ceremonias publicas Chriſtiani cultus conſtituere, aut etiam abigere. Reſpondeo, ejus eſſe ceremonias condere aut abigere, cujus eſt ſubſtantiam cultus recipere aut exterminare; (de quo vide retro p. 2. *§*. 15. *n.* 6.) nam cui committitur principale, ei & acceſſorium committitur.

10. Obſerva poſtremò, quaſdam actiones eſſe de ſubſtantiâ cultus Chriſtiani, & tamen reſpectu quarundam circumſtantiarum dici & eſſe ceremonias, *e.g.*

aſſur-

assurgere, geniculari, & omnis gestus exhibens reverentiam debetur Christo, ergo mandatur generali præcepto Justitiæ; tamen geniculari in Eucharistiâ recipiendâ est ceremonia quam potes sine peccato omittere, (nisi obstet constitutio Ecclesiæ) quia præcepta affirmativa ligant semper sed non ad semper. Hinc tamen habe Lector, eos plus colere Deum qui geniculantes recipiunt Sacramentum quàm qui sedentes; eos etiam plùs colere Deum qui stantes recitant Psalmos quàm qui sedentes. Nam geniculari & stare sunt actus venerationis, at sedere est respectu aliorum gestus superioritatis aut familiaritatis, nec humilibus conceditur in præsentiâ Magnatum nisi ratione imbecillitatis corporeæ. Ergo qui recipit Eucharistiam geniculans colit Deum & recipiendo Eucharistiam & geniculando; qui autem sedens recipit, colit Deum recipiendo sed non sedendo. Sic qui Psalmos &c. in Ecclesiâ recitat surgens & stans, colit Deum & recitando & stando; qui autem sedens eos recitat, colit Deum recitando sed non sedendo.

SECT: XVII.

De prædicatione & auditu Verbi.

1. PRædicatio Verbi primitùs significabat promulgationem Evangelii; de quâ dictum est 2. p. Nunc ea vox trahitur ad significandum præcipuè conciones quæ passim habentur in Ecclesiis. Et quòd priori sensu prædicatio Verbi fuerit pars cultus Christiani, patet ex Marc: 15. 16. *Ite in omnes terras & prædicate Evangelium omni creaturæ.* Jam Christo obsequi est eum colere.

2. Prædicatio Verbi etiam secundo sensu (si rite fit) est pars cultus Christiani. Nam ut Apostolis incubuit fundare Ecclesiam promulgando Evangelium, ita inculcando Evangelium (quod est negotium concionum) tueri & augere Ecclesiam incumbit Ministris Apostolicâ authoritate constitutis, *Tit:* 2. 15. *Hæc loquere & hortare.* Et 1 *Tim:* 4. 11. *Hæc manda & doce.* Et quod dicit Timotheo & Tito id dicit omnibus Ecclesiæ Pastoribus pro singulorum gradu, 2 *Tim:* 2. 2. *Quæ audiisti ex me ea committe fidis viris, qui aliis etiam instituendis idonei sint.*

3. Auditus Evangelii cùm primùm promulgaretur non erat pars cultus Christiani; nam quomodo colebant eum in quem nondum credebant? Postquam tamen audiverant Evangelium, tum ob grandia ejus promissa vel ob miracula visa auditáve, tum inquam diligentiùs attendere erat agere secundum rectam rationem, quod est Deum colere cultu quidem naturali non verò Evangelico.

4 Fideles audiendo conciones Theologicas, Catechismos, Lectiones sacras, Expositiones, &c. colunt Deum cultu Christiano. Nam hæc adhibere mandatur Ministris (*n:* 2.) ergo iis attendere mandatur populo, 1 *Tim:* 6. 17. *Præcipe divitibus hujus mundi quòd non superbiant*, &c. Si Minister colit Christum hæc monendo, tum divites eum colunt accipiendo has monitiones. Quin si Minister nil fere nisi inepta balbutiat, tamen hæc ipsa patienter accipere est Christum colere; nam est præstare obsequium constitutioni Christi etiam ab ejus Ministro malè tractatæ.

5. Fratrem privatim instruere, hortari, solari, corripere, &c. sunt actus charitatis & à quolibet cuilibet præstari debent prout res exigit & prudentia

diri-

dirigit. At hujusmodi actus solenniter & publicè ad cœtum Christianorum adhibitæ, dicuntur aggregatim Concio. Conciones ergo possunt esse bonæ vel malæ sicut privatæ hortationes correptiones &c. Si in malum tendunt, *i.e.* si suadetur vitium, corripitur virtus &c. tum istæ conciones sunt quoad substantiam malæ. Quæ etiam sunt quoad substantiam bonæ, *i. e.* nihil promovent articulis fidei aut bonis moribus contrarium, possunt imprudenter applicari, ut si coram populo declamites de tyrannide multorum Principum, coram Principe de arrogantiâ Subditorum qui ausint conqueri etiam malè passi, si furias gehennæ ostendas jam jam irruituris per desperationem &c. & hæ sunt malæ quoad circumstantias tantùm. Jam conciones quoad substantiam enascuntur è principiis concionatoris, nam ex abundantiâ cordis os loquitur; at concionator potest vel bonis vel malis principiis imbui, utrumque enim est humanum, nec audio quicquam de privilegio in contrarium cœlitùs promisso; ergo conciones possunt esse bonæ vel malæ etiam secundum substantiam. Indidem patet conciones in se non malas, posse tamen reddi malas è circumstantiis; quippe quia concionator potest esse imprudens.

6. Hinc liquet cujus sit concionari, nempe viri boni, *i. e.* bonorum principiorum, & docti & prudentis. Hi concionando colunt Deum, at Deo non placet aut nequitia aut stultitia. *Sed cujus est judicare quis sit idoneus ad concionandum?* Ejus cui committitur per Canones Ecclesiæ. Offendi librum cui titulus **An Apology**, &c. scilicet pro Ministris Presbyterianis in Scotiâ qui campestria ut appellant conventicula sic defendit. 1, Ministri habent authoritatem ad concionandum à Christo, ergo eâ non possunt

denudari

denudari per homines. 2, Christus & Apostoli ejus & omnes deinceps per aliquot prima secula Doctores prædicabant Evangelium contra leges & mandata potestatum hujus mundi; ergo & nos debemus. Et qui id non faciunt, & munus sibi mandatum negligunt, & animas populi produnt.

7. His ego sic respondeo. Ad 1, Qui habet authoritatem concionandi immediatè à Christo, debet concionari invito Magistratu; nam melius est obedire Deo quàm homini. Si autem ita missi sunt hi campestres concionatores, oportet id ostendant miraculo; nam miraculum non visum non potest probari nisi per miraculum visum, *1 p: §: 7. n: 2.* Qui verò habet authoritatem à Christo per dispensationem Ecclesiæ, is non plus habet authoritatis quàm Ecclesia ei concessit. Ecclesia autem in ordinibus dandis Canones suos observare intelligitur. Et ut non potest sive Episcopus sive Presbyterium aliter quàm canonicè ordinare, ita non potest dare ordinato potestatem quidlibet agendi non canonicè.

8. Atque hinc sequitur Ecclesiam secundùm Canones procedentem posse cuilibet sui membro silentium indicere aut aliter cohibere etiam usque ad degradationem. Instituit enim Christus ordines, sed eorum dispensationem in manu Ecclesiæ reliquit, ut Ecclesiæ repugnans, intelligatur repugnare Christo.

9. Ex his satisfit utrique simul argumento. Christus & Apostoli prædicabant Evangelium contra Magistratuum jussa, quia à Deo immediatè mittebantur, quod etiam miraculis probabant. Doctores sequentes prædicabant contra jussa Magistratuum Gentilium, quia ità iis præcipiebatur ab Ecclesiâ quæ immediatè à

Deo

Deo constituta erat. Hi verò campestres prædicatores & Ecclesiæ & Magistratui civili simul resistunt. Quo Magistro stant? *Accepêrunt*, dices, *jus prædicandi.* Esto, sed, accepêrunt eâ lege ut illud sic & sic exerceant. 2, acceperunt, sed ab Ecclesiâ quæ ut dedit ita abstulit.

10. Ad incommoda sic respondeo. 1, Si tacent munus suum negligunt. *Væ illis nisi evangelizant.* *Resp:* Eorum in hoc casu silentium non est peccatum sed pœna.§ Non peccant non evangelizando, sed peccando meruerunt ut non evangelizent. 2, Si silemus, aiunt, prodimus animas populi. *Resp:* Non committuntur vobis animæ, itaque eas relinquere debetis Deo; qui sat concionatorum parabit, vobis exclusis.

11. Demum quia Conciones possunt esse malæ, *i. e.* tendere in perniciem audientium (eos quippe hæresi imbuendo, ad seditionem incitando *&c.*) Itaque nemo concionari debet sine approbatione Magistratus civilis (quæ communiter habetur in Canonibus per ipsum constitutis aut confirmatis); nam ejus curæ committitur populus, eum itaque tueri debet quantum potest ab omni malo. Vide retro *p:* 2. *S.* 15. *n:* 6:

12. Postremò, à nonnullis quæritur, quæ sit necessitas concionum? *Resp:* 1, Eæ non sunt absolutè necessariæ ad salutem cujusquam Christiani. Nam per Catechismum & Sacramenta unusquisque sufficienter instruitur ad vitam æternam; & unumquemq; ratio privata & sua & amicorum hortatur, increpat, solatur *&c.* *Resp:* 2, Conciones reputandæ sunt necessariæ in Ecclesiâ, tanquam adjumenta ad bonam vitam. Solida quippe offerunt argumenta rationi, quæ etiam in improbis vim habet. Instruunt, hortan-

tantur, increpant, ſolantur, cœlum & gehennam oſtendunt. Humanitatem exuit qui tot adhibitis remediis non redditur ſanior. Interea, neſcio an forma quâ jam veſtiuntur conciones antiquorum Patrum formæ (nam non parum differunt) præferenda ſit.

SECT. XVIII.

De Sacrificiis, Oblationibus, Primitiis, Decimis, &c.

1. SAcrificium eſt oblatio nonnullius rei ſenſibilis facta Deo ad eum placandum. Eſt fere idem Deo quod terrenis Principibus ſunt munera. Atque hoc genus cultus edoctum fuiſſe videtur voce naturæ humanæ. Nam 1, omnes aut quaſi omnes gentes aliqualibus ſacrificiis uſæ ſunt, idque non poteſt non videri humanum quod quaſi omnibus hominibus commune eſt. 2, Cùm terrenos Principes fere ubique gentium per munera allata recognoſcamus, tum id præſtare Deo eſt maximè juſtum, à quo quippe dependemus de bonis & habitis & cupitis. 3, Debetur Deo interna fides & devotio ſeu recognitio animi, ergo & ejus ſignificatio per exteriora debetur; tum quia connaturale eſt homini ſignis externis exprimere interna, tum quia juſtum eſt ut Dei cultum per omnia quæ ſumus & habemus peragamus.

2. Aug: de civ: Dei l: 10. c: 5. Omne ſacrificium viſibile inviſibilis ſacrificii Sacramentum, *i. e.* ſacrum ſignum eſt. Inviſibile autem ſacrificium eſt Spiritus qui per fidem & devotionem offertur Deo,

Pſal: 51:

Psal: 51. *Sacrificium Deo est spiritus tribulatus*, scilicet de peccatis. Itaque omne illud quod fit ad hoc ut spiritus feratur in Deum potest dici sacrificium. Sic Heb. 13. 15. *Per eum offeramus Deo sacrificium laudis:* & 16. *Benefacere & communicare* (scilicet bona vestra) *ne obliviscamini, nam talia sacrificia perplacent Deo.*

3. Aliud autem est placere Deo, aliud eum placare quasi offensum aut iratum. Christianis unicum sacrificium placans Deum est passio Christi, quæ Deum hominibus propitium reddidit tollendo peccata mundi. Deo autem placemus omnia Christi Jussa peragenda, & qui ultra Christi Jussa alia adinvenit sacrificia ad Deum mulcendum, is ethnicè nugatur. *Quid dices de peregrinationibus religionis ergo?* Dico eas non suscipi nisi à væsanis. Quis mandavit? quis compensabit? Si verò fiunt hypocriticè lucri causâ, tum alia res est.

4. Quod attinet ad oblationes, decimas & similes erogationes, dico eas esse partes cultus Christiani. Nam exhibentur ad sustentandum cultum aut saltem solennitatem cultus Dei; at Christus qui jussit Deum coli jussit omnia exhibere quæ sunt Dei cultui necessaria. Et testatur Apostolus 1 *Cor:* 9. 14. *Statuit Dominus quòd prædicatores Evangelii ex Evangelio vivant.*

Obj: Tamen hæ erogationes videntur non partes esse sed adjumenta cultus. *Resp:* 1, Quicquid fit ad adjuvandum cultum id ipsum est cultus, nam exhibet honorem Deo. 2, In cultu Dei alia sunt magis alia minùs principalia: sic devotio mentis est principalior humiliatione corporis; tamen vel humiliatio corporis est pars cultus. 3, Illæ erogationes sunt quidem adjumenta cultus publici, at sunt actus seu partes cultus privati; is qui consulit cultuì pub-

lico, eo ipſo colit Deum privatim ſeu in pectore ſuo.

5. Sed ſuſtentetur prædicatio Evangelii, ſuſtentetur cultus publicus, poteſt tamen quæri an debeat ſuſtentari ſtatis & lege poſitis decimis, fundis, *&c.* an potiùs ali debeat ex voluntariâ contributione populi Chriſtiani. *Reſp:* Quicquid terrenorum habet Eccleſia, illud habet ex merâ eleemoſynâ populi Chriſtiani, (leges noſtrates appellant Francalmoyne); nam Chriſtus nec ſibi habuit nec Eccleſiæ reliquit quo caput reponeret. *At cur lege cogimur decimas &c. dare?* 1, Quia juſtum eſt ut ſuum cuique tribuatur, adeoque hoc eſt lege ſanciendum. Interea monendi eſtis non vos dare decimas ſed proavos veſtros dediſſe; illorum erat pietas dare, veſtra eſt Juſtitia ſolvere. 2, Qui lege cogitur aliquid facere, is intelligitur id facere voluntariè; quia lex eſt voluntas omnium.

6. *Poteſtas civilis num poteſt juſtè quicquam ſubtrahere de reditibus Eccleſiæ?* Ego nihil definio de publico; at tu private memento, Eccleſiam hæc tenere ut eleemoſynam Patrum; eam ergo quantulacunque bonorum parte vi aut fraude ſpoliare, ſaltem tam eſſe malignum ac ſi mendico obolum aliunde datum tu abripias.

SECT.

SECT. XIX.

De Juramento, Adjuratione & Promissione seu Voto.

1. JUrare est Deum testem invocare, 2 *Cor:* 1. 23. *Deum testem invoco in animam meam.* Ac appellatur Deus ut testis facti sed ut jurantis Judex, ut patet ex communi formâ: *Ita me Deus adjuvet & sacrosancta ejus Evangelia.* Quibus verbis perjurus perfectè abrenunciat misericordiæ divinæ. Est autem Juramentum assertorium vel promissorium.

2. Juramentum oritur ex necessitate humanâ & ex fide in Deum. Necessitas Jurandi ex parte Jurantis est quòd homo pronus sit ad mentiendum, adeoque quamplurimis vinculis ad veritatem alligandus. Necessitas ex parte exigentis Juramentum assertorium est quòd homo nec per se nec per alios possit omnia scire, Deum autem nihil latet. Necessitas exigentis Juramentum promissorium est quòd homo non semper possit hominem cogere ut promissa adimpleat, itaque Deum sibi adjutorem assumit.

3. Juramentum oritur ex Fide quòd Deus sciat omnia, & quòd sit justus impiorum punitor. Hinc Jure statuitur pars cultus divini, Es: 45. 23. *Mihi omne flectetur genu, omnis lingua jurabit.* In Juramento quippe necessario summâ cum reverentiâ recognoscitur & omniscientia Dei & Justitia.

 4. Non

4. Non tamen ut aliæ divini cultus partes ſic Juramentum etiam frequentandum eſt, imò non eſt adhibendum niſi cogente neceſſitate; nam ut in causâ gravi, omnia ad Deum referre, i. e. Jurare ſit Deum honore proſequi, ſic qui incerta aut levia jurat, prorſus non colit Deum ſed contemnit, ejus Majeſtatem rebus non honore dignis admiſcens.

5. Sed num Juramentum à Chriſto præcipitur? aut eſt pars cultus Chriſtiani? *Reſp:* Colimus Deum jurando, Chriſtum jurando per Evangelium. Et hoc poſterius non expreſsè quidem & particulariter mandat Chriſtus, mandat autem in genere, nimirum ut colamus Filium ſicut colimus Patrem, *Jo:* 5. 23. Juramentum ergo quoad rationem genericam ſupponitur à Chriſto ut pars cultus moralis, quoad rationem ſpecificam nimirum jurandi per Chriſtum, ſic inquam Juramentum induit Chriſtianiſmum. Pariter fare de precibus, adorationibus, *&c.*

Obj: Chriſtus videtur prorſus exterminâſſe Juramenta, Mat: 5. 34. *Ego dico vobis non omnino jurare.* Reſpondet Thomas: Non jurare, *i. e.* non ex veſtrâ voluntate, nec niſi neceſſitate cogente. Grotius hinc impugnari ait ſola Juramenta promiſſoria, nec vel ea niſi quæ non ſunt neceſſaria. Nam talia voluntaria Juramenta procedunt è malo, *i. e.* aut ex malâ opinione quòd ſit puſillanimum timere peccatum, vel ex malo defectu reverentiæ erga Deum. Hammondus dicit: ex malo, *i. e.* ex illo malo ſeu Diabolo, cui jure attribuuntur voluntaria iſta Juramenta ad quæ appetitus ſenſitivus nullatenus invitat. Atque hæc ſufficere videntur; utcunque authoritas Sancti Pauli debet ſufficere qui certè non jurâſſet in Epiſtolis, ſi Chriſtus omne prorſus Juramentum prohibuiſſet.

6. Ju-

6. Juratur per ſolum Deum tanquam teſtem & Judicem, ſed & per creaturas in ordine ad Deum, *e. g.* per Evangelium quatenus eſt revelatio miſericordiæ divinæ in Chriſto. Sic Joſephus juravit per vitam Pharaonis tanquam grande Dei beneficium populo Ægyptiaco, Fortaſſe etiam Joſephus oppignoravit Deo ſalutem Pharaonis, ut Apoſtolus dixit: Deum teſtem invoco in animam meam.

7. Adjurare eſt per quandam ſimilitudinem Juramenti alium ad aliquid faciendum provocare. 1 *Cor:* 1. 10. *Obſecro vos fratres per nomen Domini noſtri Jeſu Chriſti, quòd omnes dicatis idem*, &c.

8. Votum eſt promiſſio facta Deo. Vovere quidem & devovere ſignificat conſecrare aliquid Deo, ſive facto ſive promiſſione. Sic Decii Pater & Filius dicuntur ſe devoviſſe Diis manibus cùm ruerent præcipites in tela hoſtium. Sic equum Trojanum Græci votum pro reditu ſimulabant. Hîc de voto agimus ſolùm in quantum eſt promiſſio facta Deo. Ac ea videtur jure ſtatui pars cultus divini. Nam dare Deo cùm poſſis eſt eum colere (ut dictum eſt Sect: præcedente) ergo & promittere quòd dabis cùm poſſis eſt eum colere. Hæcque pars cultus videtur à naturâ ipsâ doceri cùm & Gentiles & Judæi & Chriſtiani multa voveant.

9. Ac Chriſtiani quidem in Baptiſmo omnes generale exhibent votum de renuntiando Diabolo, *&c.* Quæ fiunt pòſt particularia vota videntur nihil eſſe niſi recognitiones & repetitiones (quoad aliqua particularia) voti baptiſmalis. Nam in hoc promiſimus omnia quæ ex Dei gratiâ ſunt in noſtrâ poteſtate; recognoſcentes autem quòd in eo præſtando multoties defecimus, ideo piè identidem vovemus meliorem vitam, *i. e.* repetimus votum baptiſmale.

10. Non

10. Non debet voveri malum quia Deo odiosum, nec indifferens quia talia contemnuntur; votum ergo est semper de aliquo quod placet Deo, è nobis autem qui per omnia servi sumus, nihil potest placere Deo nisi aliquis actus virtutis seu aliqua pars officii nostri. Officium autem nostrum dignoscitur ex mandato Dei sive per naturam sive per Evangelium. Quædam autem mandantur expresse, alia generali præcepto tanquam conducentia ad id quod mandatur expresse. Sic cultus publicus mandatur expresse, at Templa condere, adire, &c. mandari intelliguntur tanquam necessaria ad cultum publicum. Ac in utrisque his aliquando vovere licet.

11. Observa etiam quod vovemus debere esse in nostrâ potestate, alioquin aliena promittimus. Quia autem nihil est absolutè in nostrâ potestate, itaque vota fieri debent sub conditione bene placiti divini; ut solemus dicere loquentes de futuro: *Deo volente* aut *Si Deus dederit*.

11. Monet Calvinus *l:* 4. *Inst: c:* 14. In omni voto tria esse consideranda; 1, Deum qui est absolutè Dominus, nec gaudet inventionibus nostris: 2, Nosmet ne votum potentiam superet, aut vocationi cui alligamur adversetur, aut libertatem quam Deus dedit infringat: 3, Animum seu consilium vovendi. Ac ille quidem reducit omnia consilia seu rationes bene vovendi ad quatuor capita, quorum duo respiciunt præteritum duo futurum. Primum est cùm in gratitudinem ob beneficia accepta aliquid promittimus Deo. Sic Jacobus vovit decimas, *Gen:* 28. Secunda ratio vovendi est cùm nosmet affligimus ob peccata admissa. Tertia ratio est cùm vovemus tale vel tale peccatum non admittere ut nosmet cautiores reddamus: 4, Ut quasi calcaribus

exci-

excitentur ad officium, ad quod memoria voti ferè compellit.

13. Interea votis & aliis quæ non expresſè mandantur utimur non ut Deo per ſe placentibus, ſed ut conducentibus ad ea quæ Deo placent, *i: e:* ab eo mandantur. Sic qui vovet & dat Eccleſiæ ad ſupportandum cultum Dei placet Deo vovendo & dando quia placet ei cultum ſui ſupportari. At qui vovet peregrinationem ad colendum Beatam Virginem in Templo quod eſt Lorettæ non placet Deo aut vovendo aut peregrinando, quia quidem Deo non placet quòd aut imago Virginis aut ipſa Virgo religiosè colatur.

14. In Eccleſiâ Romanâ inſigne eſt votum Monachiſmi. Ac Calvinus quidem loco citato luculenter oſtendit differentiam inter veterem & modernum Monachiſmum, quem vide ſis. Ego omnes Proteſtantes omnem video rejeciſſe Monachiſmum. Nam non eſt pars cultus Chriſtiani quia non inſtitutus à Chriſto, nec docet experientia eum eſſe adjumentum cultus Dei, adeoque eſſe populo Chriſtiano ut grave ſic inutile onus. Imò votum illud perpetuæ caſtitatis & arrogantiæ eſſe videtur & contra conſilium Apoſtoli, 1 *Cor:* 7. 5. Votum etiam paupertatis expreſſè contradicit Apoſtolo jubenti quòd nemo edat niſi qui laborat, utque omnes laboremus ad hoc ut aliis benefacere poſſimus. Ac quidem ut res ſe habuerunt ab aliquot jam centuriis annorum, iſta *Ordinum* multitudo nil niſi firmavit tyrannidem Aulæ Romanæ; ſaltem ſi audire lubet Machiavellum. Is ait quòd regnum Sacerdotum à longo tempore intercidiſſet niſi quòd plebs ingenti opinione ſanctitatis pauperum horum Fratrum contineretur.

15. Ve-

15. Verùm illi pro hoc voto paupertatis disputant ex Mat: 19. 21. *Si vis esse perfectus, vende omnia & dà egenis & sequere me.* Hinc colligunt abjectionem temporalium aut esse statum perfectionis aut saltem ad eum summopere conducere. Respondet Calvinus: Si vis esse perfectus, *i: e:* si vis haberi qualem te prædicas, *vende omnia*, &c. Hoc igitur juveni edicitur non ad reddendum eum perfectum sed ad perfectionem ejus probandam. Sed & aliter respondere possumus: *Si vis esse perfectus, vende*, &c. *i: e:* perfectioni legali quæ evanescit, superstrue evangelicam quæ permansura est. Veni & sequere me fontem perfectionis, quod tamen moneo te non posse præstare (ut res nunc se habent) nisi omnia temporalia abjicias; nam non est mihi quo caput reponam, itaque nec iis erit qui me sequuntur.

Obj: Dices, non incumbit omnibus Christianis abjicere temporalia, ergo hoc proponitur Juveni ut via ad perfectionem: *Resp:* Abjicere temporalia non exigebatur ab illo nisi solùm, quia propter istius temporis angustias impossibile erat simul ista tenere & Christum sequi, & eâdem lege idem exigitur ab omni Christiano. Quin imò suscipientes Christianismum omnes omnia hujus mundi abjicimus non quidem actu sed præparatione animi.

17. Tandem observa *Col:* 3. 14. Charitas appellatur *vinculum perfectionis*, etiam sine ullâ abjectione temporalium: Et 1 *Cor:* 13. 3. *Si omnia bona distribuero in pauperes, sine charitate nihil est*: Ecce: Charitas est summa perfectio etiam sine abjectione bonorum, ac abjectio bonorum sine charitate nihil est. Et appello sensum communem, si tractare temporalia ne ipse aliis sis onerosus, & ut quàm plu-

plurimis possis prodesse non sit majoris charitatis, quàm temporalia omnia sic simul abjicere ut nec pauperibus possis prodesse, nec quidem aliis non esse onerosus.

18. Huc etiam attinet loqui de meliore (quod appellant) bono. Quædam scilicet bona mandari, & ea esse officii omnium Christianorum & necessaria ad salutem; alia non nisi suaderi, (unde dicuntur consilia) nec esse necessaria ad salutem, sed solùm esse meliorem viam ad cœlum, unde etiam appellantur opera supererogationis & meliora bona scilicet quàm quæ sunt vulgo Christianorum necessaria. Hinc etiam concluditur vota debere fieri de bono hoc meliori; nam vota quò sunt magis voluntaria eò sunt ditiora; at hoc melius bonum est maximè voluntarium, cùm non cadat vel sub necessitate finis, quippe sine quo salvari possumus.

19. Ego verò non intelligo quid sibi velint ista opera supererogationis, nec capio quomodo possit homo ultra officium Deo placere; nam totus est à Deo, ergo Deo debet totum suum posse. Et summa legis est: *Diliges Dominum Deum tuum toto corde*, &c. Totum cor, tota vis hominis mandato exigitur, quid relinquitur consiliis?

20. Reperiuntur quidem consilia in novâ Lege, verùm non de iis quæ placeant Deo, sed de iis quæ prosint nobis. Sic quod dicit Dominus Juveni de *vendendo omnia*, &c. sonat ut consilium Juveni profuturum in sequendo Christum. Sic 1, Cor: 7. 6. *Hoc dico ex permissione non ex mandato:* & v:12. *Cæteris loquor ego non Dominus*: & v: 25. *De virginibus non habeo mandatum à Domino, sed sententiam meam affero*, &c. Nec hæc quæ ibi suadet afferuntur quasi placeant Deo, sed quæ nos in Deo placen-

 do

do adjuvent, *v:* 35. *Hæc loquor commodo vestro ut attendatis Domino sine distractione.*


Obj: Martha benefecit quantum quidem necesse erat ad salutem; at Maria fecit meliùs, ergo supererogavit. *Resp:* Martha fecit omnia quæ intercedentibus Christi meritis erant necessaria ad ejus salutem, *i: e:* pœnituit eam de omissis; at Maria fecit meliùs, *i: e:* minus omisit. Martha enim non applicavit sibi merita Christi per hoc quòd valdè occupata erat in prandio apparando, at Maria audiendo & colendo Christum eum sibi propitium reddidit. Sic 1 Cor: 7. 38. *Qui eam connubio jungit, bene facit,* i: e: non peccat per v: 28. *Qui eam non jungit connubio facit meliùs*, i: e: prudentiùs per v: 32, &c.

Sed anhelo ad finem hujus summæ in quâ aliqua desunt Capita, nam nihil dixi de Angelis, de merito bonorum operum, de libertate Christiana, &c. Sed ea paucis absolvi possunt & formâ appendicis istis assui; nisi quidem visum fuerit ea servare secundæ (si Deus dederit) Editioni horum etiam quæ posita sunt non nihil fortassis emendaturæ.

Feb: 11. 1680.



FINIS.



ERRATA.

Lege *p:* 5: *l:* 16. notissimum. *l:* 24: convincente. *p:* 7: *l:* 19: est aut. *p:* 10: *l:* 11: hunc *pro* huc. *l:* 12: ipsis. *p:* 20: *l: ult:* temporis. *p:* 21: *l:* 4: in utriusq; *p:* 22: *l.* 23: & ponetur. *p:* 23: *l:* 23: dijudic. *p:* 28: *l:* 27: frequenter. *p:* 43: *l:* 13. itaq; *p:* 45: *l:* 12: præficiens *pro* præsciens. *p:* 48: *l:* 25: opponitur. *p:* 64: *l:* 26: dico. *l:* 30: innumeros. *l:* 34: & *pro* &c. *p:* 76: *l:* 22: consuitur. *p:* 80: *l:* 31: consitæ. *p:* 84: *l:* 24: arbore vitæ. *p:* 99: *l:* 28: caram. *p:* 108: *l:* 27: an *pro* at. *p:* 109: *l:* 9: Christiani. *p:* 114: *l:* 18: abstrusum. *p:* 117: *l:* 25: suppositum. *p:* 122: *l:* 23: Dominij. *p:* 125: *l:* 2: tentationes: *p:* 130: *l:* 6: definit: *p:* 137: *l:* 9: increpaveris: *l:* 23: capax. *p:* 147: *l:* 12: Christo: *p:* 149: *l:* 27: separata: *p:* 165: *l: ult:* mo: *p:* 172: *l:* 6: eò usq; *p:* 179: *l:* 12: § 22: *n:* 2, *p:* 181: *l:* 28: ostensum: *p:* 183: *l:* 6: si quæ 184: *l:* 4: peccata: *p:* 187: *l:* 5: damnetur: *p:* 189: *l:* 15: loquuti: *p:* 196: *l:* 29: vere pel: *p:* 201: *l:* 5: aut *pro* ut: *p:* 209: *l:* 1: faciendis distinguenda: *l: penult:* novitate. *p:* 221: *l:* 10: *dele* quæ est: *p:* 226: *l:* 3: mali: *p:* 240: *l:* 17: impedit: *p:* 245: *l:* 11: initiatus: *p:* 246: *l:* 9: determinatum: *p:* 250: *l:* 21: esse *pro* est: *p:* 25: *l:* 10: &c. character: *p:* 255: *l:* 14: Num *pro* non. *p:* 258: *l:* 13: meliùs etiam significatur Ecclesiastica unitas: *p:* 260: *l:* 26: hoc Sacramentum: *p:* 263: *l:* 6: quid ni in hoc: *p:* 270: *l:* 8: panis &: *p:* 271: *l:* 24: deduci: *p:* 272: *l:* 15: per formam. *p:* 289: *l:* 9: mandata. *l:* 20: decôris. *p:* 2)7, *l:* 13. peragendo: *p:* 299 *l:* 8: perjurus: *p:* 302: *l:* 20: 12.

